



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Appendix Unius Necessarii, Summatim recolligens - firmiusque constabiliens, explicatam in toto illo opere in deo vivendi rationem. Copioso totius operis, &memorabilium in eo rerum indice ad calcem adjecto ; Italice primo vulgatum [et] Latine nunc redditum

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Appendix Unius Necessarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54520](#)



APPENDIX UNIUS NECESSARII.

CAPUT I.

Æquissimum esse , ut unus-
quisque hominum , D E O totum
se addicere , penitúsque adhærere ,
nec nisi ex eo vivere instituat.



Ui aliquid esse à se ipso non
habet, nulla ratione illud asse-
qui potest , nisi per participa-
tionem alterius rei , quæ à se
ipsa illud habeat : neque plus
ex eo assequi , quàm sua ejusdem rei partici-
patione sit : non aliter exempli gratiâ albus , vel
lucidus fieri potest , qui talis per se ipsum non
est , quàm albedinem participando , vel lu-
cem , quaruin natura est tales esse , neque ma-
gis albus , vel lucidus fieri , quàm prædictas
formas participet . Quocirca , cùm nullum

A

ens

ens creatum à se ipso ullum esse habeat, ne-
dum bonum, perfectumque, & beatum es-
se, non aliunde, nisi à DEO, qui unus suâpte
naturâ omne Esse, omne bonum, omnisque
est perfectio, & beatitas, nullam mutuari ex
hifce dotibus potest: aut plus ex ea mutuari,
quàm supremi, & increati illius Entis parti-
ceps sit. Jam verò, uti nemo ullius formæ
particularis fieri particeps potest, ab eaque
denominari, qualis per se ipsum non est, nisi
cum ea conjungatur, quantóque illi est con-
junctior, tantò eandem pleniùs participat; sic
neque ullum ens creatum à DEO primaria,
& universali totius boni forma fieri, & deno-
minari per participationem potest, qualis ipse
est per essentiam, bonum, perfectum, bea-
tum, nisi rite illi fuerit conjunctum: quan-
tóque hæc conjunctio est intimior, tantò &
illius participationis largitas major. Cujus
rei exemplum esse Cælites possunt: ideo ad
plenum beati, quia cum supremo illo bono;
quod clarissimè intuentur, & summopere a-
mant, tota mente, animoque conjuncti. Un-
de procul dubio eventurum colligitur, ut
quantò etiam quisque mortalium DEUM af-
fiduè præsentem sibi habuerit, & toto pecto-
re amaverit, & ad perfectissimam immorta-

li-

lium illorum spirituum cum eo conjunctio-
nem proprius accesserit , tantò expressius ple-
nissimæ eorundem beatitudinis simulacrum
in animo suo efformet , sapidiorésque illi-
us fructus , quasi in quodam terrestris , supe-
ræque sortis confinio , degustet : vitam a-
gens , qua nulla in terris duci potest divinior ,
nulla uberioribus bonis , gaudiisque affluens ,
nulla æternæ illi , quam in cælo ducemus , si-
milior .

2. Quæ conclusio cùm meridiana clari-
tas luce omnibus pateat , utpote ex principiis
evidentibus nihilo minùs evidenti deductio-
ne profluens ; an non ex ea consequi , instar
naturalis cujusdam , & propemodum neces-
sarii effectūs , par esset , ut homines universi ,
vel iī saltēm , qui sanctioris vitæ genus partim
in religiosis cœnobiis , partim domesticos in-
ter lares profitentur , eamque pro peculiari
divina commentandi usu perspectiorem ha-
bent ; uni DEO vivere , & penitus adhærere
apud se constituerent ? Essel profectò : nam
neque quisquam hominum est , suæ adeò fe-
licitati inimicus , ut cùm plenam habere , &
suis omnibus absolutam numeris queat , man-
cā tamen sit contentus , & mutilā , neque ul-
lus ex interioris Philosophiæ Professoribus ,

illius elementorum tam rudis , ut nesciat , tantò feliciorem esse animam , quantò arctius cum DEO copulatur.Unde igitur fit, quòd horum etiam plerique , pro eo ut totam suam mentem , atque voluntatem in eo uno , qui omnis cæteroqui earum beatitudo est , defigant , velint eas potius creata inter objecta , nîl solidi fructus amatoribus suis afferentia , partiri? Nónne hoc est genus vecordiæ , nihil præposterum , & insolens minùs , quām si quispiam seu nimia frigoris vi exinanimari se querens , recusaret ad luctulentum in proximo focum accedere , seu intoleranda siti exercituans , crystallinis obvii fontis laticibus refrigerare illam nollet ? Inficiaríne illi possunt totam rerum creatarum bonitatem , perfectiōnem , ac beatitudinem in D E O sitam esse , adeò ut cum illo animam jungi idem prorsus sit , ac cum ipsa sua jungi bonitate , perfectiōne , ac beatitudine , bonamque indè , perfectam , & beatam constitui ? Neutquam certè possunt , nisi evidentissimis simul veritatis contradicant , quas à natura insculptas menti habent. Imò admissa dictorum veritate fateri ulteriùs coguntur , si in mera cum DEO conjunctione tota hominis perfectio , ac beatitudo consistit , non majorem in ullo hujus

jus ,quàm illius mensuram esse posse: ac proinde , quemadmodum immortales cæli spiritus non alia de causa beatores nobis sunt, nisi quia per visionem , & amorem nostro excellentiorem cum D E O copulantur ; sic ex nobis etiam mortalibus nulla alia ratione posse unum beatiorem altero esse , quàm si per contemplationem magis assiduam , & fervidorem charitatem cum summo illo bono arctius jungatur. Quonam igitur pacto fieri potest , ut nihil flagrantius una ex parte appetentes , quàm beatissimi vivere ; & palam satentes ex altera , tantò magis se tales futuros , quantò conjunctiores D E O fuerint , nunquam tamen seriò decernant , totos sese illi quàm arctissimo nexu conjugere ?

3. Dicendum enimvero est, quando neque ipsa felicitas sati magnam eos illò impellendi vim habet ; nimium quàm extraordinarias , pollentesque , à quibus retinentur , esse causas debere. Videamus igitur , quænam tandem hæ sint. Et quoniam non nisi imaginariæ , futilésque esse possunt ; eam illis detrahere rationis larvam curemus , qua tam multos à perfecta cum D E O conjunctione deterrent ; ut , quisquis ab iis illusus est , earum tandem vanitate perīspecta , quemad-

modum confitetur , nullam in terris beatitudinem duci posse , quām quæ ex DEO dicitur , vitam ; sic etiam fateatur , nullius ponderis rationes esse , quæ eum hactenus ab ea eligenda avocarunt : neque ulterius electionem rei differat , ad quam validis adeò rationibus incitatur , & contra quam nulla sibi nè species quidem rationis superest . Ubi majoris perspicuitatis gratiâ profiteor , non me hic adversus eos disputare , qui licet deliberatum in animo habeant , exorsique alacriter sint , DEO se totos impendere , nec nisi ex eo vivere , præ virtutis tamen imbecillitate minus æquabiliter , quām par esset , suum id propositum exequi pergunta , inque multis vitaç partibus ab eo strenuè urgendo deficiunt ; cum his enim inferiùs suo loco agam : ea illis sugerens adminicula , quorum ope gnavius , & meliori cum successu dehinc possint in suscep-
to tam laudabili instituto versari . Sed cum iis tantum hic sermonem mihi esse spiritualis vitaç cultoribus , qui perinde , quasi tota Christiani officii summa , in quibusdam crassioribus vitiis declinandis , nonnulloque orationis , & recte operandi usu posita esset ; vili hac mediocritate contenti , nihil insuper cogitant de exinaniendo terrenis cupiditatibus animo , ut
sic

sic purus, & omnino integer uni DEO totum
se iinpendat, nihilque aliud præter ipsum, &
sanctissimam ipsius voluntatem curet, ac ve-
lit, pensi habeat: admirantes illi quidem, ac
beatum vocantes, quicunque sic vivit; sed
nunquam eò progredi audentes, ut seriam
ejusdem imitandi voluntatem concipient. Et
ab hujusmodi hominibus quæro: curnam id
vivendi institutum aggredi metuant, quod cæ-
teroqui ob rarissima illius emolumenta, at-
que decora tantopere in aliis suspiciunt?

4. Duæ sunt causæ, quas in primis affe-
runt, & quibus suam in divino illo vitæ gene-
re omittendo negligentiam excusari sat pu-
tant. Altera, quod ad illud amplectendum
nulla seu necessitate, seu præcepti obligatio-
ne urgeantur: altera, quod idem, quam exi-
mum, tam humanæ imbecillitati metuen-
dum arduitate sua sit. Sed, quantum ad pri-
mam, quomodo non erubescunt eâ uti, ne-
que ipsimet illius futilitatem perspiciunt?
Cùm, si ea haberet quid ponderis, plerasque
honestarum professionum, atque artium, &
vix non omnem operositatem, omne studi-
um, omnemque industriam è vita hominum
tolleret. Et ubinam, quæso, pro legitima
deserendi ullius boni causa habitum est, non

vitæ necessarium, nullaque præscriptum legge illud esse? Quisnam sive inter aulicos ad summa honorum tendere, sive inter negotiatores quæstui studere, sive inter literarum professores pro doctrinæ suæ censu amplificando laborare neglexit, quod nulla ad ejusmodi curas seu præcepti, seu necessitatis vicogeretur? imò quis eorum, interrogari se ab aliquo audiens, cur tantum studii in quantum rei prorsus liberæ ponat, sinè risu, atque stomacho tam ineptam interrogationem exciperet? nec responderet percontanti, (si tamen eum dignaretur responso) obligacionem, & necessitatem ad eos tantum labores requiri, unde nîl emolumenti à laborante percipitur; cæterum, si ex labore ingens bonum proveniat, injuriam huic facere, qui ad ejus perquisitionem aliunde stimulari opus habeat, tanquam si ipsum per se parum validè voluntatem alliceret: imò & voluntati ipsi facere injuriam, tanquam si illa ad naturale suum centrum, quod est bonum, non satis absque externis impulsibus per se ipsam feratur.

5. Sed, quò allati prætextūs inanitas adhuc luculentius appearat, eamque vel ipsi met fateantur, qui ad ejus umbram, quasi ad suæ

suæ inertiae tegumentum confugiunt; libet unum ex his quempiam argumento, ex ipsis vita mutuato, sic aggredi: Dic, amabo te, quisquis es, qui agnoscens cæteroqui, nec negans, nihil excellentius, beatiusque ea vivendi ratione esse, quæ tota ex DEO ducitur, eam tamen, quia minimè præceptam, & necessariam profiteri abnus; num qua obligatione, vel necessitate adigaris, futilia hæc præsentis ævi bona conquirere, inter quæ tuas omnes cogitationes, & curas divino melius amori, atque obsequio impendendas absūmis; novis scilicet semper lucris rem augere: nè quid corpori oblectationum, & commodatum desit, solicite adeò curare: popularis famæ rumusculos tam flagrantibus studiis undecunque aucupari? Obligationem certè non potes causari. Lex enim divina tantum abest à præcipiendo, ut hæc bona quærantur, ut eorum fugam potius, & abdicationem suadeat. Sed neque ulla est, quam obtendas, naturalis necessitas; cum manifestissimè patet, ad vitam sustendandam neque ample divitiarum apparatu, neque affluentí voluptatum copia, neque ulla nominis celebritate opus esse. Cur ergo, quòd ejusmodi bona ad mortalis vitæ conservationem superva-

canea tibi sint , nihil apud te valet , ut ea idcirco minus avide consecteris : quodque perfecta cum DEO coniunctione ad æternam vitam parandam opus non habeas , sat validam censes negligendæ illius causam ? Num quod illa , et si minimè sunt necessaria , at eximiorum saltēm fructuum videntur tibi esse fœcunda ; hæc verò , præterquam quod non necessariò requiritur , parùm etiam emolumenti se quærentibus parere ? Ah ità , ità se profectò res habet . Hinc demum tota oīitur tui illius in agendo discriminis ratio ; exaggerata præter modum , altissimèque in tuo animo fixa de illorum magnitudine est opinio ; curta autem plus nimiò , vixque in mentis superficie hærens hujus æstimatio . Quod si justam inæstimabilem illius utilitatum , ac decorum speciem intimo animi sensu conciperes ; næ nullius tunc ponderis foret , ad te in ejus studio segniorem reddendum , oblicationis , & necessitatis defectus : sed frivola hæc ignaviæ somenta irriteres , dicens ; & quid mihi opus , præceptorum vi , & mali meitu in itari ad mæ felicitatis complexum ? Si quod externa hujusmodi incitamenta absint , nihil me remoratur , nè pro bonis tam futilibus , quam terrena sunt , comparandis , omni ope ,

ope , atque studio laborem ; multò minus re-
morari debet , nè perfectam cum DEO con-
junctionem , bonum summi pretii , & mo-
menti , quanta possum sedulitate , quæren-
dam existimem .

6. Ethæc quidem satis valerent , ut ina-
nitatem primæ rationis tuæ fatereris , & si ul-
tro admitteremus , nullam tibi DEO penitus
adhærendi necessitatem incumbere ; sed alie-
nissimum à vero , neque ulla ratione admit-
tendum id est . Quamvis enim perfecta illa
totius hominis ad summū bonū suū adhæsio
non omnino requiratur ad æternæ consecu-
tionem salutis ; ad multas tamen alias , & ma-
ximi quidem faciendas tuæ animæ opportuni-
tates necessariò requiritur : nimicum ad hoc
ut legitimus sis religiosæ , ac spiritualis vitæ
sectator , ut tranquillè , & hilariter vivas , ut
bona cum spe moriaris , útque longam ab in-
teritu in lustralibus flammis expiationem e-
vadas . Ità enim vero necessarium tibi ad hæc
omnia propositum , atque studium ex DEO
uno vivendi esse , ajo : absolutèque necessa-
rium , ut , si absit , nî religiosi , & spiritualis
viri præter extinam speciem habiturus sis :
nunquam sincera fruiturus animi securitate ,
& quiete , non sinè magnis conscientiæ per-
tur .

turbationibus, ac terroribus extremum diem
obiturus: immensumque ad posthumam vi-
tam tecum asportaturus culparum onus con-
dignis ibi poenis luendum. Utque ex vero
haec dici à me liqueat, quonam pacto existi-
mandus erit nomen, ac personam religiosi
hominis ferre, qui neque communes sui Or-
dinis ritus levissima quavis de causa violare
metuit, neque pensi habet ipsammet votorum
solennium sponsionem, præterquam ubi gra-
vis culpæ reatus occurrit, sartam tectam tue-
ri? Quonam jure spiritualem virum dice-
mus, qui non nisi profanos sensus, & terre-
nas cogitationes animo fovet? majorem ge-
rit oblectandi corporis, quam excolendi spi-
ritus curam: jucundiùs otiosis confabulatio-
nibus, quam piis sermonibus capitur: ple-
nam suis sensibus discurrendi, quacunque li-
beat, facultatem permittit: vix unquam à re-
rum externarum varietate intrà se mentem
recolligit: vix unquam toto die præsentis
DEI memoriam instaurat? Quinam fieri po-
test, ut tranquillos dies exigat, qui moderan-
di, vincendique sui nescius, inter assiduas
jam hujus, jam illius terrenæ rei cupiditates
miserrimè æstuat, nihilque, nisi impotenter,
& nimio cum ardore appetit: qui, quod mi-

ni-

nimè assueverit , divinam in humanis quibus-
que casibus voluntatem agnoscere , agnitæ-
que se libenter submittere , à nullo non even-
tu suis votis adverso in iram , & mœrorem
conjicitur : quique tantum abest à cœlestibus
deliciis in oratione gustandis , ut nunquam
hanc repeatat , quin novis conscientiæ objur-
gationibus suam sibi in divino famulatu fo-
cordiam exprobrari amarissimè sentiat ? Quo-
modo nullis solitudinum stimulis , & animi
angoribus moriturus conflictabitur , qui in il-
lo temporis , atque æternitatis confinio , sive
ad mortalem suam vitam , è qua jamjam emi-
grandum sibi est , oculos vertet , eamque
quām pravis operibus redundantem , tam bo-
norum inopem cernet , sive æternam intuea-
tur , quæ deficieni primæ successura est , in-
que ipso ejus limine formidandum supremi
Judicis tribunal aspiciet , coram quo exactissimam rationem continuò à se reddi necesse
est omnium , quæ à primo exorientis rationis
diluculo ad extremū usque halitum seu per-
peram egit , seu rectè agere per ignaviam o-
misit ? Postremò cuinam esse dubium potest ,
quin perquam graves , & diutinas in subterra-
neo purgantium flamarum ergastulo datu-
rus sit poenas , qui sinè ullo propemodum vi-
vit

vit studio, seu culpas veniales cavendi, seit
mortiferas voluntaria suimet ipsius castigati-
one expandi?

7. Quid ergo? Nónne huiusmodi sunt,
qui in DEI famulatu ordinaria, id est tepida
vivendi ratione contenti, nullam perfectæ
cum eo conjunctionis curam suscipiunt? Utí-
nam fallerer: sed eorum vitam paulisper in-
tuere, & mendacii me arguito, nisi pejores
etiam deprehenderis, quām adumbrati à me
sint: tota nimirum mente in rebus caducis
immersos, mundanæ admiratores fortunæ,
ac potentiaz, de nulla re magis, quām de suo
honore, déque suis comodis, & terrenis
compendiis sollicitos, continuis agitatos ina-
ñium curarum, anxiarum formidinum, æ-
mulationis, iræ, invidiæ, & quorum non per-
versorum affectuum stimulis, intemperantes
in epulis, jactabundos in colloquiis, ambiti-
osos, simulators, in omni vitæ actu ad spe-
ciem, ad ostentationem, ad hominum gratia-
m compositos: sive veræ pietatis cultu, sive
obedientia, nisi coacta, & politica, sive cha-
ritate, nisi humanis rationibus nixa: nè mul-
ta, nullis penè non vitiis scatentes: utque illis
succedat, (quod ipsum non ita frequens, &
facile est sic viventibus) gravia vitare delicta;

ad eo

adèò tamen ad venialia proclives, & lubri-
cos, ut vix dies abeat, quin eorum dictis, fa-
ctis, & cogitatis ad examen vocatis, in cen-
tena, & centena per incuriam labantur. En-
igitur, frater charissime, cuiusmodi, & qui-
bus miseriis obnoxius futurus fit tuæ animæ
status, nisi decernas uni DEO totum te addi-
cere: numque parùm necessaria existimari
& ut talis omitti mereatur, voluntas, sinè qua
adèò perperam vives, tanta cum inquietudi-
ne animi morieris, diréque adèò secundùm
mortem torqueberis: cùm per eam è contra-
rio vitæ genus duceres, quo nullum rectius,
jucundiúsque, & magis divinum in terra exi-
gi queat: supremus vitæ tuæ dies omnibus a-
liis, qui temporis ordine præcesserunt, sin-
ceræ, solidæque hilaritatis fructu antecelle-
ret: & mortalem vitam absolvere, nihil ali-
ud tibi esset, quam ex inchoata ad perfectam
beatitatem transire.

8. Video tamen, nondum te manus da-
re, cùm altera etiamnum tibi excusatio su-
perf sit ex difficultatibus ducta, quæ magnani-
mam illam, & fructuosissimam cæteroqui
voluntatem circumstant. Sed frivola hæc
quoque, nec ullius roboris ad tuam causam
tuendam est ratio: cùm enim nihil aliud sit
igna-

ignavum esse, quam honesta, & utilia propter eorum difficultatem refugere; quotus quisque non videt, tantundem esse, quod aliquis ad excusandam rei honestæ, atque utilis fugam illius difficultates adducat, quantum si ultro profiteretur, ignavum se esse? Praeclara sanè excusatio: non audeo velle totus DEI esse, quia factu ardua res est. At quis, rogo, sensus tuus esset, si filium, vel nepotem objurgans, quod literarum, & Christianæ pietatis studiis dare operam negligat; respondentem audires, ea de causa se id prætermittere, quia experitur factu arduum? Pro legitimâne, & probabili hanc illius rationem acciperes? an potius, tanquam à nimis delicato, & imbelli animo profectam exploderes? docens eum, hanc legem ipso statim ab exortu cuique hominum ferri, ut *in sudore vultus sui vescatur pane suo*, nempe ut laborum pretio suam sibi comparet felicitatem: ac propterea, si laborare abnuat, conveniens suis, ut nasci etiam abnueret. Nullum in terris reperiri seu morale, seu physicum, seu animæ, seu corporis bonum, quod suis difficultatibus careat: adeò ut nihil velle difficultatis per vincere, idem sit, ac cuivis bono nuntium remittere. *Hominem nasci ad laborem,*

rem , & avem ad volatum : (ait Job . c . 5 .) quámque proprium , & naturale huic est , cælum pennis findere , tam secundūm naturam illius esse cum laboribus , & difficultatibus congregdi . Ità sanè , arbitror , molliculam illam excusationem tu refelleres , nec dissimili pacto refutari & tuam posse , sat opinor , intelligis .

9. Reliquum itaque est , ut eam corroboratus , adjicias difficultates , quæ hīc obversantur , non quale scunque esse , verūm extraordinarias , gravissimas , & deterrendis suo aspectu vel firmissimis quibusque animis parer ; cùm , ut homo totus DEI sit , debeat & mentem in eo uno continenter defixam habere , & humano omni affectu voluntatem exuere : quod perinde est , ac mortali in corpore vitam ducere , integerrimorum spirituum propriam , quæque non superior dunata , verūm etiam contraria , & repugnans quibuslibet naturæ suæ propensionibus sit . Admitto , vera esse , quæ jactas : nego tamen justam idcirco tibi causam adesse , cur à perfecta cum DEO conjunctione refugias . Si enim extraordinariæ , communēmque ultra modum graves sunt , quæ in ea difficultates occurrunt ; extraordinaria quoque est , nullaque in alia optabilior , quæ per eam obtine-

B tur ,

tur, felicitas. Quocirca, si pro cuiuslibet mercis modo solet esse illius pretium, quemadmodum pro bonis vulgaribus, qualia sunt terrena omnia, bene impensos existimas, nec suscipere abnus ordinarios labores; ita summum hoc bonum, & quocunque alio præstantius dignum tibi debet videri, quod vel extremo comparetur labore.

10. Adde huc, quod duo illa capita, ad quæ omnis revocatur perfectæ conjunctionis cum D E O difficultas, omnium nempe cogitationum in unicam cogitationem collectio, & omnium amorum pro uno amore abdicatio, minùs experientem fatigant ambo simul, quam singula: ratione nimirum adjumenti, quod ex utriuslibet praxi ad proxim alterius anima acquirit: cum neminem fugiat, longè promptius factu esse, terrenos affectus exuere, si quis nihil præter DEUM cogitet; & nihil præter DEUM cogitare, si quis terrenos quosque affectus exuerit. Quapropter fallaci paralogismo se ipsum deciperet, qui maximam in unoquoque horum seorsum proposito arduitatein mente concipiens, duplo eam majorem in ambobus simul sumptis futuram colligeret. Cum si rite argumentari vellet, collendum è contrario illi

illi esset , quantacunque singulorum difficultas sit , duplo minorem in ambobus simul sumptis futuram.

II. Sciendum præterea est , gemina eadem cum Deo omnino dæ conjunctionis exercitia longè leviora homini accidere , qui ex divini amoris impulsu in iis volens versatur , quām alteri appareant , qui eadem otiosus è longinquo prospectat , idque triplici ex causa : primò , quia voluntatis alacritas , qua homo propositum quocunque opus aggreditur , plurimum valet , ut , quod arduitatis in eo est , minùs percipiat . Secundò , quia amoris divini suavitatis miram vim habet , mitigandæ cujuslibet asperitatis , quæ in ipsius exercitatione se objicit : usque eò , ut nedium tolerabilem , verum etiam vix sensibilem reddat . Tertiò , quia nihil est naturâ tam asperum , quod assida tractatione non mitigetur , & quotidiana consuetudo ad durissima quæque callum sensim animo obducit . Quocirca si in præsens , dum timido obtutu , & animo etiamnum dubitante hanc ex DEO uno vivendi rationem , qualis suâ duntaxat naturâ , & in primis experimentis suis est , contemplaris , nequedum aut ulla exercitatione illius molestias lenire , aut solitam à D E I amatoribus in ea percipi

spiritualem dulcedinem gustare cœpisti: si, inquam, in circumstantiis adeò iniquis illius difficultates tua tibi imbecillitate omnino superiores videntur; non ideo justam existimandi habes causam, tales etiam revera futuras, quando & ipse generoso cum contemptu, animique vigore eas audacter invaseris; & quidquid est in illis grave, ac molestum, præterquam quod continentि usū levius, leviusque in dies fiet, suavissimo etiam temperabitur nectare consolationum cœlestium, quibus DEUS animas perfecto sibi amore inharentes recreare consuevit. Sed persuadere tibi potius debes, futurum id temporis, ut *montes fluant sicut cera à facie DEI, & aspera sint in vias planas:* hoc est, ut ejusmodi solitorum, ac leniminum vi, non leve duntaxat, verum etiam delectabile experiaris hoc vivendi institutum, quod nunc eminus intuentem suis te nativis difficultatibus adeò territat.

12. Id ut luculentius pateat, non abs erit, quinas operationum laboriosarum classes distinguere: ita ut primae sint, quæ nihil utilitatis pariunt: qualis fuit filiarum Danai irritus labor, dum aquas è puteo pertusis in fundo urnis haurirent. Secundæ, quarum cer-

certus labor, dubiumque est operæ pretium :
qualis foret agri effossio , ubi rumor jactaret
magni pretii thesaurum latere , & quales ferè
sunt seu militum contentiones pro victoria ,
seu mercatorum navigationes remoti spe lu-
cri. Tertiæ , quæ fructum quidem certum
afferunt , sed admodum tenuem , neque sum-
ptibus parem : veluti exempli gratiâ , si quis
pertinaci metaphysicarum subtilitatum studio
fatigaret ingenium , præ naturali tarditate , &
stupore ad alia omnia factum. Quartæ , quæ
proventu respondent non uberi minùs , quām
certo , sed tamen sero , & diu operanti expe-
ctando : qualis est cultura agri , frugum fera-
citate Leontinum in Sicilia , aut Bizacenum
in Africa æquantis. Quintæ demum , quæ
fructum , præterquam quòd locupletem , pro-
tinus quoque , & in ipso actu suo referunt :
qualis fuit Archimedis circa arcana geometri-
ca , aut Virgilii circa suam Æneidem labor.
Quarum inter operationum genera nemo
non videt , hoc discriminis intercedere , quòd
primæ ; si vel modico cum labore conjunctæ
sint , à nullo queant sanæ mentis homine eli-
gi. Secundæ , licet à multis animosè suscipi-
antur , nihilo tamen minùs possunt etiam finē
nota inertiaz relinquunt : præsertim si magna de-

earum eventu ambiguitas , & majores timendi , quām sperandi sint causæ . Tertias , si non mediocris earum sit labor , vix quisquam potest prudenter amplecti . Quartæ , etiam si mereantur alacriter suscipi , nec nisi perturpem ignaviam omittentur ; non nihil tamen pariunt molestiæ , nisi quòd hujus sensus futuræ utilitatis expectatione lenitur . Quintæ verò præsentis fructūs dulcedine usque adeò qualemcunque exercitationis suæ laborem retundunt , sentiri que prohibent , ut non modò toleratu faciles , verùm etiam delectabiles sint , nec proinde ulla appareat , cur supersedendum iis sit , probabilis ratio .

13. Jam verò ut ad laborem accedamus , qui in vivendo merè propter DEUM reperi-
tur , ad nullam is certè ex tribus primis classi-
bus redigi potest , utpote qui fructum parit &
longè certissimum , & tanti pretii , quanti esse
perfectam cum sumo bono conjunctionem
initio hujus capitis vidimus . Sed neque ad
quartam pertinet : cùm idem illius fructus
haudquaquam se tantummodo in futurum
promittat , sed confessim , inque ipso opere
actu proveniat . Quare nihil superest , nisi
ut inter ultimæ classis referatur labores , qui ,
quantumcunque graves sint , vel minimè ten-
ti-

tiuntur, vel jucundi etiam iis occupato sunt. Si ergo, qui in aliquo se exercet studii genere, ad quod non exiguum sortitus à natura habitudinem est, putà in elucubrando poëmate, vel abstrusis Philosophiæ arcanis rimandis, quamvis tota animi contentione ad suum opus incumbat, segregans se illius gratiâ ab amicorum colloquiis, ludisque, & cunctis propemodum vitæ oblectamentis, imò etiam quantum temporis potest, ipsimet somno, & necessariæ quieti surripiens, neque parcens assiduis diu, noctuque laboribus mentem fatigare, caput obtundere, valetudinemque, & corporis vires atterere, nihilo tamen minus præ delectatione seu versuum, quos felici ubertate ex ingenio, atque calamo sibi videt profuere, seu veritatum, quæ alia identidem, aliaque contemplanti se aperirent, tantum ab omni abest laboriosæ illius occupationis tædio, ut eam potius charissimam habeat, neque ullo se pacto indè avelli patiatur, cùmque nullo jucundissimæ remissionis genere commutatam vellet, quin coactus interdum, vel negotii, vel intervenientis amici causâ illius studium tantisper abrumperet, ægerrimè intermissionem ejusmodi ferat, inque statu violento sibi esse videatur,

tur, donec illò iterum, quasi ad centrum suæ quietis redierit: si hoc, inquam, evenire ibi cernimus, quidni eōsdem effectus in cuiuslibet animo, qui conjungi penitus cum D E O studet, incomparabilis mysticæ illius conjunctionis felicitas pariet? Pariet procul dubio, tantóque etiam majores, quantò & præstantiora hic emolumenta ex cælesti suo studio pergit continenter referre, & veluti eorum pretium humanis quibuslibet lucris præponit, sic consequens est, ut humana quavis ampliorem inibi delectationem reperiat.

14. His itaque sic se habentibus, unum id, Lector, etiam, atque etiam rogatum te volo, nè rem scilicet summi momenti incuriosè, & oscitanter, ut plerique hominum solent, transmittas: sed nisi jam ante id feceris, seriò deliberare instituas, magisne ex usu tuo sit, totum DEO uni, an potius tibi etiam, humanisque rebus te vivere: memori animo recolens, quæ primam deliberationis partem suadentia, nequivisti supra ob eorum evidentiam pro verissimis non admittere: nempe quòd conjungi te cum DEO nihil sit aliud, quam cum tua te perfectione, & felicitate conjungi: & propterea quòd quantò illi conjunctior, tantò item sis perfectior, ac fe-

li.

licior futurus : neque ullam possis optabiliorē in terris vitam ducere , & cælestium spirituum vitæ similem magis , quām si cures , eorum instar , totus , ac perfectissimè illi adhærere : hæc , inquam , sedula primū in mente retractans , & contrarias alterius partis rationes , quarum futilitatem perspexisti , ex adverso constituens , & ubi utrisque justa lance perpensis meridiana luce clariūs apparuerit , (veluti procul dubio apparebit) longissimè his illas præstare , & idcirco rationi consentaneum esse , ut tanti illud pretii bonum quovis sumptu paretur , nè patiaris totum examen desinere in otiosam solummodo melioris partis confessionem , aut in pigra aliquot inefficacis circa eandem voluntatis suspiria , & desidem eorum fortis , in quibus generosè electa est , invidiam : sed pergas protinus certo , & irrevocabili decreto id faciendum sanctire , quod factu esse utilius vidisti , sic racionando apud te ipsum : ego certè nīl ardentiū , quām felix vivere expeto , neque ullā alia de causa labore , aut aliò , quām huc meis omnibus curis , conatibus , atque studiis collineo . Ex altera verò parte evidenter intueror , per intimam cum DEO conjunctionem , quantumcunque laboris exhaurire in ea o-

porteat , vitam me ducturum felicissimum omnium , quas ab homine duci in terris fas sit. Unde etiam iis invideo , qui contempto labore sic vivunt , eoque hac de causa beatos appello , & eorum conditionem aliorum omnium conditioni præhabeo , qui , quod laborare cum ipsis per ignaviam renuant , sine ipsorum præmiis , ac fructibus remanent. Si ergo hæc omnia perspectissima mihi sunt , ac proinde ultro fateor , non posse me aliter rationibus meis opportunius consulere , universalèque illum meum vivendi feliciter finem certius , ac pleniùs , quam per conjunctionem hujusmodi assequi , quidni eam omnipacto eligendam existimem ? & si omnium rationum momenta illuc me impellunt , cur ulterius comperendinare , neque exemplo decernere electionem hanc velim ? Num ut de illa maturius deliberem ? Atqui res competissima , & per se patens , extrâque omnem controversiam est ; num quod in præsenti non satis idoneus , paratusque ad eam sum ? At quæ mihi unquam accedere præparatio , & habitudo potest huic par , quam certissima nunc mihi affert omnimodæ illius æquitatis cognitio ? num , quia nullæ festinandi sunt causæ ? imò nullæ sunt differendi : cùm è contra-

trario ad eam quanto cyùs decernendam tot adsint, quot illius sunt emolumenta, atque commoda: quibus si cras frui expediet, quidni multò magis expeditat jam nunc frui incipere? Ità, ità profectò, quævis ratio ad utilissimam rem aggrediendam, & continuò aggrediendam me impellit, neque ulla se offert, quæ justè suadeat illius aggressionem vel omnino prætermittere, vel in aliud tempus rejicere. Cur ergo contra rationis instinctum operari malim, quemadmodum ex meamet sententia, & confessione operarer illam vel omittendo, vel differendo; quām congruenter rationi, quo pacto me operaturum certissimè constat, si eam illico amplectar? Cur me velim gerere, inconsulti potius, & bonum suum aspernantis, quām sapientis, & providi hominis ritu? Cur, quæso, cur tandem? Quid respondeo? aut quidnam respondere huic interrogatio possum, quod, non dico, æquum sit, sed vel umbram æqui habeat?

15. Enimvero, si ratiocinationem hujusmodi seriò, attentèque apud temet ipsum instituas, tuāmque voluntatem ità in arctum compingas, nullum ei ad effugia, & tergiversationes locum relinquens, pro certo habeo, nullo ipsam pacto ità pervicacem futuram,
quin

qui perspicuæ , cognitæque rationi det manus, & justissimis illius suasionibus obsequens firmiter demum statuat, velle in posterum id vivendi genus suscipere, quod unum inter omnia esse perspicit maximè optandum, maximorum ferax bonorum, & beatæ Superum vitæ simillimum: vivendi genus scilicet, totum juxta DEI voluntatem, totum DEO intimè adhærens, totum in DEO contemplando, amandóque occupatū. Quamobrem cùm mihi persuadeam, neutquam fore, ut vel ipse abnuas prædictam deliberationem tecum inire, vel eâ rite initâ non sequatur veluti naturalis effectus, modò dictum voluntatis decreuī, non ultrà te incitare ad hoc pergam: sed tanquam homini, qui satis jam certum, fixumque in animo habet, velle posthac totus DEI esse, uníque illi vivere, secuturis capitibus explicare aggrediar primò: qualis isthæc esse debeat, usquequaque divina vivendi ratio, tum obstacula, quæ superare, & præsidia, quibus uti te oportet, ut sublime tuum propositum, si minus secundūm totam perfectionem, cuius illud capax naturâ suâ est; at secundūm eam perfectionis partem, quæ hominum adhuc in terris peregrinantium, & præsentis vitæ propria est, consequi valeas.

C A.

C A P U T II.

Qualisnam esse interior vita
hominis debeat, qui D E O to-
tum se addixit, illique uni vive-
re in animo habet.

Totum DEI hominem esse, unique illi vivere, breviter definiendo, est, nullum in se actum, motumque habere, qui ex D E O non proveniat: adeò ut DEUS dici possit nostræ animæ anima, & veluti corpus nunquam naturaliter operatur, nisi ex impulsu animæ, sic anima nullum habeat supernaturalis suæ vitæ aliud principium, quam DEUM: nihil unquam sive ex proprio suo instinctu, sive ex alterius creatæ rei impulsu operans, sed à D E O uno accipiens cujuslibet sui actus, & motus auspicia. Jam verò cum morales hominis motus duorum generum sint, alii nempe interiores, quos animus intrà se concipit, ut cogitationes, affectus, & judicia, alii verò exteriores, ut locutio, & reliqua opera, quæ membrorum ministerio fiunt, juxta hanc eorum divisionem, moralem quoque hominis vitam possumus in duas partes divi-
de-

dere, interiorem nempe, quæ primo loco nominatos, exteriorēmque, quæ secundi generis motus contineat: statuendo ad extremum, tunc illam fore omnino, ex utraque prædictarum partium divinam, quando nullus neque interior, neque exterior in ea motus existet, qui aliunde, quām à DEO originem ducat. Quod quemadmodum circa interiorem illius partem contingat, explicare hīc conabor; alterius, exterioris videlicet tractatione in caput, quod proximè subsequetur, rejecta.

2. Dico itaque, si quispiam efficaciter velit, secundūm interiorem vitam totus DEI esse, nec aliunde, quām ab ipso ad ullos suos actus impelli; necessarium primò illi esse, ut pro unica norma seu personas, seu res afflanti, & judicium de illarum dignitate ferendi, DEUM sumat: nec quidquam in pretio habeat, nisi ipsum, & quæ videt in pretio esse apud ipsum; duo hæc penitus animo insculpens oracula: primum, quod Isaias, divino afflatus Numine, promulgavit, creatas nempe omnes seu nostri hujus, seu cælestis mundi personas, quacunque prærogativa- rum, ac decorum magnitudine excellant, respectu DEI minùs quid vermiculo, vel ato-

mo

mo esse: *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei.* (c. 40.) Alterum, quod ex certissimis fidei nostræ principiis Angelicus Doctor de-
prompsit, omnia nimirum naturalis ordinis bona, sive quæ extrinsecus homini accidunt, qualia sunt divitiæ, honores, imperia; sive quæ illius corpori, animoque inhærent, ut pulchritudo, sanitas, robur, ingenium, elo-
quentia, eruditio, acervatim collecta, & ad sumimum perducta, quem assequi in terris possunt, magnitudinis, excellentiæque suæ apicem, longè inferiora minimo divinæ amiciæ, & visionis gradu esse. *Bonum gratiæ unius majus est bono naturæ totius universi.*

3. Si enim veritates hasce alta mente con-
cipiat, assiduèque explicatas præ oculis ge-
rat, nihil jam mirari eorum poterit, quæ in
imo hoc orbe terrarum magna à pusillis, &
majorum nesciis vocantur: neque tunc aut
superbi opulentiaæ apparatus, ut vestium ni-
tor, numerosi pedisequorum greges, ædium
laxitas, metallorūmque, & gemmarum splen-
dor, alium in eo sua specie excitabunt, quam
miserationis sensum, erga cæcitatem tam va-
na ostentantium, séque præclaros, & beatos
putantium; aut operosa Regum molimina,

bel-

bellicæque expeditiones , & quæ indè conse-
quuntur , tanto famæ strepitu attonitum cir-
cumlatæ per orbem , pugnæ, clades , victoriæ,
magis seria illi videbuntur , & gravioris mo-
menti negotia , quām solicii puerorum in lu-
teis domunculis extruendis labores ; aut cum
summis quibusque mortaliū ob terrenæ il-
lorum dignitatis excellentiam timidior , mi-
nusque erecto , ac libero animo congredie-
tur , quām cum figulis , & sutoribus faciat ob
plebeji artificii , in quo sibi antecellunt , sci-
entiam ; aut demum præpostera eorum , in-
ter quos agit , hoc est totius penè humani ge-
neris , judicia transversūm unquam eum ra-
pient , ad præferendum in æstimatione verè
magni , ac felicis , præsentibus præditum bo-
nis , minùs largè iisdem instructo : patrici-
um exempli gratiâ plebejo , & capite censo ,
divitem mendico , agasoni Monarcham : sed ,
veluti DEUS tota est apud illum potentia , di-
vitarum , nobilitatis , gloriæ , & cuiuscun-
que alterius decoris summa ; sic à DEO uno
certam accipiet quidvis aliud æstimandi men-
suram : neminem opulentum judicans , præ-
terquam DEI possessorem : neminem insi-
gnis potentia , nisi qui apud DEUM , & in
DEO plurimum potest : neminem generē
illu-

illustrem , nisi qui per supernaturalem adoptionem renatus ex DEO est: neminem gloriam præstantem , nisi qui in honore est coram D E O.

4. Expulsa hunc in modum ab animo magnifica earum rerum aestimatione , quæ neque sunt DEUS , neque ad DEUM referuntur , & ad quas magni pendendas incitari ab eo minimè possumus ; sequitur purgatio appetitus à quibuscumque affectibus , quorum neque objectum , neque causa , & incitamentum DEUS est : ità ut anima nihil amet , nihil optet , nihil metuat , neque de ulla re aut lætetur , aut moereat , nisi supernaturalibus , & divinis rationibus mota. Purgatio quidem maximè necessaria , & sine qua impossibile est , hominem uni DEO vivere , & totum usqueaque ipsius esse : sed eadem factu prona homini , qui præcedenti judiciorum purgatione se ad eam comparaverit : cùm pro cuiusque rei aestimatione affectus quoque esse erga illam soleat : ingens , si magni illa fiat , & exiguis , ubi exiguo illa in pretio habetur. Quapropter , qui omnem rerum terrenarum estimationem , omnem simul earum cupiditatem in se ipso extinxerit , & quanto minoris eas duxerit , tantò remissiores earum

C

dem

dem appetitiones excitari in suo animo sentiet.

5. Circa hanc porrò purgationem sex videntur cuilibet, qui eâ uti velit, præscribi canones posse. Primus, ut sedulo, & universalis assiduæ mortificationis studio curet, magis semper, ac magis naturales humanarum rerum appetitus in se ipso debilitare, atque atterere: quò scilicet eorum motus etiam indeliberati, minus in dies crebri, minisque validi sint. Quamvis enim ad substantiam vitæ interioris secundum omnes suas partes divinæ sati sít, nullum ab anima ex plenè liberatis affectibus concipi, qui aliunde, quam à DEO originem trahat; dubitari tamen minimè potest, quin ad majorem vitæ illius perfectionem, puritatem, & quietem multum intersit, quam paucissimos vel surreptitorū, & furtim insurgentium affectuum ex alio, quam unius DEI impulsu in anima existere.

6. Secundus, nè ullum ex præsentis vita bonis cupiat, queratque, aut eo utatur, nisi quando necessitas, vel honesta ratio, hoc est divinæ significatio voluntatis id illi facendum suadet: inquit neque tunc id faciat, eò quod bona prædicta naturali, humanoque appetui suo arrideant, sed ea tantum de causa, quod ita

itâ fieri DEO placeat. Quæ perfecta animi puritas nihil aliud , præter divinam voluntatem respiciens , ac sequens , non nisi paucorum , & sanctissimorum hominum est : præsertim , ubi quidpiam vitæ conservandæ necessarium usurpatur , vel quæritur : ceu exempli gratiâ , cùm terrâ horrendùm nutante , aut tauro præferoci irruente , quæcunque trepidi circumspicimus subiti illius , ac præsentis periculi effugia. Ad quam nostri curam vix unquam evenit , quin vitæ amor per se ipsum , & tanquam princeps causa , sinè ulla divini placiti animadversione nos incitet.

7. Tertius , ut quemadmodum nullâ alia , quâm divinæ voluntatis causâ hoc , aut illud ex prædictis bonis velle incepit ; sic propter eam unam , quamdiu sic facto usus erit , velle idem pergit : non permittens , ut subsequenti ullo tempore aliæ rationes terrenæ (quod sæpe clam contingit) vel supremæ illius rationis locò subeant , vel cum ea miscentur. Cujus perversitatis non dubia argumenta esse possunt , si fervidiùs , vehementiusque , quâm par esset , reī expetat : si sollicitus , anxiusque de eventu illius sit : si quodlibet , tametsi non omnino sanctum , & laudabile artis genus ad eam consequendam ad-

C 2

hi-

hibeat : si quovis maximè alieno , putà psalmodiæ, aut Sacrificii tempore ruminare illam animo pergit , tanquam mentis pabulum, si nè quo illa nesciat expleri , & quiescere : si denique aut illius compos factus plus justo exultet, aut eadem frustratus inaniter perturbetur.

8. Quartus , ut ad corrigenda hæc affectus non ex toto divini vitia , non modò nullum ex præsentis vitæ bonis, nisi ex mero Dei sic volentis respectu optet , ac quærat ; sed neque plus , atque aliter , quām illud à se optari , & quæri DEUS velit : voluntate nimirum non omnino absoluta , & ad meram quæsitæ rei consecutionem intenta , sed æquè parata ad carendum hujusmodi effectu , si id potius DEO collibitum fuerit. Unde , ità animo liber , neque de illa , nisi suis temporibus cogitat , neque illâ potiri , nisi honestissimis rationibus studeat, neque aut voti sui successum inter spem , timorēmque anxius expectet, aut de illo in irritum fors cadente minus contentus remaneat ; quām si cursu inoffenso ad suum finem pervenisset. Quæ libertas , & quietes voluntatis curæ illi esse debet , non in terrenis solum bonis quærendis, sed in aliis quoque , esto ad suum spiritualem profectum , &

ma-

majus DEI obsequium peculiariter ratione spectantibus; cujusmodi sunt exempli gratiâ, vividus charitatis fervor, intimior divinarum rerum cognitio, & negotia ob æternam animalium salutem suscepta: cum facile etiam hic possit contingere, ut cum amore divino aliquis insceatur imperfectior, nec omnino purus nostri amor, à quo incitemur ad ea objecta quærenda, majori cum ardore, & vehementia, quam tranquillitate animi, in sola DEI voluntate, tanquam in primario suo scopo, & universali quorumlibet votorum fine acquiescentis.

9. Quintus, ut si forte vel in principio, vel in progressu volendi aliquod bonum, præsertim ex iis, ad quæ naturalis appetitus propendet, animadvertat, acriori, quam par sit, ideoque turbulentia, & sollicita voluntate in illud se ferri, quemadmodum potest id habere pro indicio affectus non penitus puri, sic exemplo ad hunc perpurgandum incumbat, observans, quænam ibi speciatim interveniat vitiosa cupiditas, eamque nitens expressa retractatione ab anima ejicere, neque alium in hac reliquum facere amorem, nisi divinum: quo ita deterso, & ad nativam puritatem sum revocato, pergit mox corrigere nimis

C. 3

ar-

ardoris , & inanum solicitudinum vitia, quæ alterius amoris naturalis , & humani interventio produxerat.

10. Sextus , ut satis habens , quando Deus ita vult , hæc , aut illa præsentis vitæ bona velle , & mala aversari ; reliquos circa eadem affectus , hoc est lætitiam , timorem , iracundiam , mœrorem (primo duntaxat aliquatenus excepto) conetur , quantum potest , ab anima excludere ; neque enim consequens est , ut , si DEI amor , & voluntas ad aliqua ex præsentibus seu bonis appetenda , seu malis fugitanda nos incitet ; necessariò quoque incitet ad concipiendos affectus seu timoris de incerto horum fugæ , illorūmque appetitus eventu ; aut iracundiæ , & mœroris , de eodem votis contrario . Cùm potius & Ecclesiasticus mœrorem , tanquam motum animi non modò inutilem , sed & noxiūm condemnet , scribens : (c. 3.) *Tristitiam longè repelle. Multos enim occidit tristitia , & non est utilitas in illa ;* & Gentium Doctor iram omnem procul esse à DEI famulis velit , præcipiens : (*Ad Ephes. c. 4.*) *Omnis amaritudo , & ira , & indignatio tollatur à vobis ;* & Christus Dominus disertè hortatus nos sit , nè solliciti , & pavidi simus , circa ulla vel bona , vel mala præsentia : circa bo-

bona quidem illis apud D. Lucam verbis :
(c. 12.) *Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori, quid induamini :* circa verò mala illis , quæ à D. Matthæo referuntur : (c. 10.) *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Dixit tamen , excipi lætitiam posse de bonorum assecutione , & malorum effugio , quæ divinæ voluntati obsequentes , seu consectamur , seu fugimus : tanquam affectum , qui ex supernaturalibus causis , ac cum merito , & laude virtutis concipi potest : præsertim quando illa boni assecutio , & mali depulsio sive ad vitam tuendam necessaria , sive ad corporis valetudinem , animique tranquillitatem valde utilis est : tametsi cùm necesse non habeamus lætari de ejusmodi eventibus , quemadmodum necesse habebamus eos velle ; & periculum insuper sit , nè naturalis , atque inordinatus erga res terrenas amor hinc fomentum accipiat , tutius , ac perfectius videatur , si contenti primo illo appetitus practici affectu , ad quem à divina voluntate impelli- imur , supersedeamus hōc altero , ad quem illa nos minimè urget. Quod erit juxta D. Pauli consilium : (I. ad Cor. c. 7.) *Uii hoc mundo, necessariisque ejus bonis, sed tanquam*

C 4

non

non utamur, hoc est perfunctoriè, citrāque omnem propemodum exterioris nostri usūs animadversionem, ac sensum.

II. Nec minùs aut necessaria ad finem propositum, aut post præcedentes duas purgationes facilis tertia purgatio animi est, ab omni genere cogitationum inanum, hoc est, quæ neque pro objecto, neque pro fine, & causa DEUM habent. Necessariam primò illam dixi: cùm palàm sit, neutquam posse hominis mentem, dum iis ultiro se oblectat, totam DEI esse. Facilem porrò, ubi duæ jam dictæ præiverint: cùm non multum laboris, negotiique esse possit, in mente abstracthenda ab objectis, in quibus minimum ea pabuli reperit: qualia sunt, quæ neque in pretio habet, neque amat. Volenti igitur interiorem vitam penitus ex DEO agere, de nulla re cogitare debet, nisi aut de DEO, aut de objectis, de quibus ipse eum cogitare intendit, vel ob suam, vel ob aliorum utilitatem velit: ità ut solis hisce cogitationibus, tanquam solis honestis, atque utilibus, intrà mentem suam aditum præbeat: reliquas verò, ex quibus plus noxæ, quam emolumenti perciperet, quásque nulla seu justitiæ, seu obedientiæ, seu charitatis, aliarumve virtutum

tum ratio, sed solius amoris proprii insti-
ctus ei suggerit, cuiusmodi ferè sunt cogita-
tiones de rebus, ad se nihil spectantibus, seu
jam omnino transactis, & fortasse eventuris,
tanquam inutile temporis dispendium, &
malignam noxiiorum affectuum sementem
penitus ab animo excludat: nihilo minus va-
cuam otiosa rerum præteritarum recordatio-
ne, & sterili futurorum prævisione habens
mentem, quām si hodie primū natus in
mundo, pōstque unam, vel alteram horam
ex eo migratus esset. Imò neque de illis
ipsis muniis, quæ ex DEI voluntate obeunda
illi sunt, cogitare diutiùs debet, quām dum
iis operam navat, vel intensiùs, acriùsque,
quām spiritualis ferat profectus: attendens
quidem cum omni sedulitate seu ad procu-
randam rem domesticam, si est paterfamilias,
seu ad præmeditandas lectiones scholasticas,
si magister; seu ad causas cognoscendas, si
judex: verū ità hæc omnia, ut nè ideo con-
suetas interioris vitæ exercitationes negligat,
& extra tempus hujusmodi ministeriis im-
pendendum, ab eorum cogitatione abstine-
at; & in ipso eadem exercendi actu ad DE-
UM, ex cuius amore ibi occupatur, per cre-
bra intervalla mentem attollat: utpote qui

C 5

eum

eum unum pro centro sui animi habet , cæterisque rebus haudquaquam sua sponte , neque quia sui genii propensionibus consentaneæ sunt , sed ex mero divinæ illius voluntatis exequendæ studio se impertiat.

12. Quòd si mens aliquando , vel ob capitis imbecillitatem , vel ob diutinam in rerum seriarum studiis intensionem , tempesivo quo piam laxamento indigeret , proximis præsertim à prandio horis , quibus nonnulli ad quamvis attentionem penè omnino inhabiles sunt , neutiquam homini sic affecto interdixerim , quin debilitas corporis , animique vires seu nemorum , camporūmque viridantium prospectu , seu honesto ludi generē , seu cantūs dulcedine , aliave hujus generis remissione paulisper instauret , amoenisque per idem tempus , & jucundis cogitationibus mentem reficiat : dummodo ad spirituale damnum cavendum , quatuor hæ conditones serventur . Prima , nè quis sibi hanc requiem ex mero sumat naturæ suasu , pérque propriam sui unius autoritatem , sed post expositam DEO illius indigentiam , & legitimam capiendæ illius veniam ab eodem pettam . Secunda , nè inter avocationes prædictas DEI omnino obliviscatur , sed subinde

eum

euim respicere , & alloqui curet. Tertia, nè vel hoc ipso tempore objecta contempletur , quæ inordinatos , terrenosque affectus excitandivim habent: revocando exempli gratiâ in memoriam , quas aliquando vidit , inanes divitum pompas , & profanæ magnificenteriæ spectacula , aut quos olim ex publica quapiam functione circumstantis coronæ plausus retulerit: sed alia potius sibi repræsentet innoxiae jucunditatis objecta , quæ animum ità lepidis speciebus oblectent , ut tamen minimè inficiant. Quarta, ut , postquam mens tali levamine aliquatenus suum reparârit vi- gorem , à quovis eam protinus accommodata illi temporis , hoc est minùs seria imagine expurget , integrâaque , & omnino vacantem cælesti suo objecto restituat.

13. Videndum est , quo studii genere occupari interius debeat , qui suam voluntatem , & mentem profano quovis sensu , actuque purgaverit ? Qua super re breviter dixerim : unum illud occupationis genus ei convenire , ad quod per purgationes supradictas se idoneum effinxit : nempe ut D E O vivere conjunctissimus studeat , præ oculis continenter eum habens , debita illi admirationis , reverentiæ , & amoris vectigalia persolvens , dé que

que rebus suis omnibus cum eo familiariter differens. Ad intimam itaque conjunctionem cum DEO jucundè, & perpetuò servandam, opus primò illi est, ut eum assiduè tanquam sibi præsentem intueatur: scilicet, ut fide quām certissima impressum menti habeat, pérque identidem repetitos ejusdem fideli actus creberriùm in memoriam revocet, suum illum, rerūmque omnium Conditorem, ac Dominum ubivis locorum necessariò, & verissimā totius Divinitatis suæ præsentia sibi adesse: neque verò otiosum, rituque aliarum rerum, quæ ante, & circa se adsunt: sed cogitantem de se, plūs quām ipse met id præstet: sed circumfusum sibi undique, ac se sustentantem, plūs quām parens gravida circumpleteatur, & sustineat, quem in utero infantulum gerit: sed intima omnia suæ animæ penetralia replentem, & quidquid ipse agit, secum unà actitantem nihilo minùs, quām anima omnes corporis partes intrinsecùs repleat, & ad singulos vitales illius motus, tanquam princeps causa ei adsit. Vivida quippe, & assiduè frequentata certissimæ hujus veritatis recordatione practicus divinæ præsentia sensus, hoc est consuetudo DEUM è propinquo spectandi, & quasi juxta illum vi-

ven-

vendi brevi temporis spatio non minùs ei familiaris evadet ; ac si quem interiori tantùm fide sibi adstantem agnoscit , corporeis quoque oculis aspectabilem cerneret : veluti cæcus quilibet non minùs facile experitur , hominem , qui secum differit , pro præsenti certissimè habere , cùmque eo tanquam cum tali agere , ac si eundem visu ipso cerneret .

14. Secundò , posteaquam cælestem suum Dominum hoc sibi pacto proximum , præsentemque reddiderit , adstare illi debet , non similiter , atque aliis objectis vulgaribus , sed cum eo admirationis , reverentia , amorisque sensu , qui exuperantissimæ dignitati illius convenit . Adeò ut jam mystico quodam stupore se opprimenti sentiat , prætot , tamque extraordinariis perfectionibus , quas in infinita ejus essentia , tanquam in prodigiorum nusquam alibi occurrentium , & quamcunque humanæ mentis capacitatem superantium abysso deprehendit : jam altissima cum animi submissione eum adoret , tanquam mundanæ totius universitatis Conditorem , Dominum , atque ultimum finem , & cui nihil non reverentia , obsequiique exhiberi à se debeat : jam profiteatur , quidquid boni tamen in se , quam in creatis aliis rebus existit , gratuitum esse il-

lius

lius munus: absque ipsius largitate merissimum nos, & pauperrimum nihilum fore: nostramque in eo unicè positam esse felicitatem, ut amemur ab ipso, & per mutuum amorem cum eo conjunctissimi simus: jam, quæcunque in mundo naturæ merito excellentiora, & possidenti utiliora cum eo comparantur; omnia in ejusmodi comparatione vilioris multò pretii, & longè minus bonum existimet, quam vilem præ universis cælestium spirituum choris vermiculum: jam dulci lætitiaæ enthusiasmo incitatus, creatas res omnes etiam sensu carentes ad eum venerandum, illiusque laudes secum concinendas invitet; neque seciùs altera ex parte debitum ipsi amorem exerceat secundùm varios actus, & affectus, in quos illius exercitatio dividitur. Cujusmodi est capitale minimæ cujusvis injuriæ ipsius odium, & respondens huic intimus dolor de tamen multis, tamque gravibus, queis tum à reliquo hominum genere affici solet, tum quibus ipse in priore sua vita eum indignissimè affecit. Quæ desideria eū quantocyùs in cælesti gloria intuendi, ulterius semper, atque ulterius progrediendi in ipsius amore, & obsequio, mortalésque, si fieri queat, omnes ad ejus notitiam, cultum, ac fer-

servitutem trahendi. Cujusmodi exultatio
seu de infinita illius perfectione, beatitudine,
& gloria, seu de propria sua felicitate, quod
a tantæ magnitudinis Domino in amici, & fi-
lli loco habeatur, & ad beatissimi, & immor-
talis regni illius hæreditatem vocetur, seu de
omnibus, quæ is in mundo fieri vult, deque
illis præcipue, quæ sibi adversa, & molesta
accidunt, utpote in quibus nihil potest, præ-
ter sanctissimam illius voluntatem, placere.
Quæ fervidæ testimonia, volendi sese illi
totum, suæque omnes facultates, & vires in
perpetuam servitutem addicere, aliud non
sunt, quam ardentes divini amoris actus.

15. Tertiò, ad perseverandum facilius,
& uberiori cum fructu in ejus præsentia, af-
fuescat cum eo de omnibus colloqui, quæ in-
terdiu agit, aut fieri ab aliis videt, quæque si-
bi vel prospera, vel adversa contingunt: ape-
riendo ei familiariter, quidquid difficultatis
in virtutum exercitatione experitur: omnes
ad fluxa terræ bona delicias, commoda, ho-
minum æstimationem, & benevolentiam sui
animi instinctus, quasvis cogitationes vanas,
ambitiosas, superbas, & fraternalæ charitati
inimicas, quas in mente deprehendit, omnes
demum lætitias, mœrores, cupiditates, iras,

fo-

solicitudines , aliósque affectus , qui suo in animo excitantur , adeò ut in nulla rerum prædictarum hæreat , sed quamcunque earum animadverterit , ante DEUM , quem præsentem habet , constituat : observans , quidnam ille de re ejusmodi sentiat , studénsque eundem illum sensum ipse quoque concipere , ac denique , tanquam sibi communem , seu voce sensibili , seu tacita mentis locutione coram illo exprimere . Utque aliquo exemplo præxiū hic allatam luculentius declarem ; audit fortè nonnullos de opum affluentia , de dignatum splendore , aliisque id genus bonis ampullosè , & magnificè loqui . Statuat se cum prædicto inani sermone coram DEO : revocansque in memoriam , quām nullo in pretio apud eum sint terrena illa bona ; profiteatur , se quoque eadem nihili pendere . Simili pæto , ubi causā injuriæ ab aliquo acceptæ iracundiæ motus excitare in suo animo senserit , ad DEUM præsentem respiciat , audiénsque contrarios lenitatis , tolerantiæ , & mansuetudinis sensus ab eo sibi inculcari , dicat intrâ se ipsum : apage à meo corde hos affectus usque adeò ab ea benignitate abhorrentes , quam DEUS & erga nos præfert , & præferri à nobis erga proximos jubet ; etsi duplo esset

gra-

gravior, quæ illata mihi est injuria, nihilominus, cùm id placere tibi, Domine, intelligam, certum mihi est, non modò nullum indignantis, & offensi animi specimen illius authori exhibere; sed cum insuper quasi germanum fratrem diligere, nullisque non officiis, ac benevolentiae significationibus prosequi. Nec secùs, si naturalis sensus ab aliquo obedientiæ, aut mortificationis, vel alterius virtutis actu refugiat, interiorem illum sui animi renisum cum DEO communicet, novamque ex illius præsentia, & responsis alacritatem concipiens, quid hoc rei est? subjicit: itáne, ô Domine! in iis, quæ ad obscurum tuum pertinent, cogitandum ego putem, arduáne, an factu proclivia, dissentaneâne, an congruentia meis propensionibus sint: nec potius ad quidvis protinus aggrediendum fatis causæ existimem, quòd tu gratum id habebas? Proh intolerandum meum dedecus! placet tibi hoc à me fieri: & ego etiamnum in deliberatione illius versor? Et ego auscultare adhuc pergo, quid de illo inferior pars mei animi censeat? Et ego illud nondum perge? Nimiæ, ah nimiæ cessationis suit, quòd res non simul peracta, atque cognita est. Enjam nunc, hoc ipso loco, atque tempore plen-

D

nis-

nissima cum voluntate illam decerno , illam
eligo , illam aggredior.

16. Ità , dico , jam diutius , jam breviùs ,
pro majori , vel minori temporis opportuni-
tate , atque copia debet cum DEO de singulis
suis rebus agere , saltèm , ac præcipue de il-
lis , quarum cum eo communicationem ma-
gis necessariam , graviorisque momenti esse
viderit ; & si pergit sedulò id facere , tres in-
dè utilissimos effectus percipiet . Primum ,
quòd per hujusmodi praxim suave , nedum
facile experietur assiduam toto die retinere
DEI præsentis memoriam . utpote cuius in-
exhaustum , sempérque varium , & novum ei
pabulum subministrabit , quidquid sive extra ,
sive intrà se fieri sentiet . Secundum , quòd
ordinarius quotidianæ vitæ suæ tenor conti-
nua quædam erit , præcipuarum , & quæ in-
primis necessariæ homini sunt , exercitatio
virtutum . Quemadmodum enim jam de u-
na continenter , jam de altera earum collo-
quetur cum DEO ; sic proprios jam unius ,
jam alterius actus continenter coram illo ex-
ercebit . Tertium , quòd tam frequenti præ-
dictorum actuum repetitione in consuetudi-
nem , hoc est penè in naturam illi abibunt ,
quæ plurimum cæteroqui Christianam perfe-
ctio-

ctionem sectantibus difficultatis , negotiisque
exhibit : qualia sunt , quidquid in terris
splendidi , & magnifici appareat , flocci facere ,
nihilque præter DEUM , & quæ ad DEUM
pertinent , in pretio habere nullam suis sensi-
bus , suæque voluntati oblectationem indul-
gere : vanam bonorum mortalium cupidita-
tem ab animo excludere : injurias non æquo
duntaxat , verùm etiam hilari animo ferre :
quæcunque humanitus adversa , & molesta
accidunt , tanquam divinæ voluntatis effectus ,
libenter amplecti , fugere honores , & plau-
sus , de sui contemptu gaudere , liberum reti-
nere ab inordinato humanorum de se judici-
orum , & sermonum respectu animum , quid-
quid gratum DEO esse constet , quantumcun-
que arduum , & proprio appetitui contrari-
um sit , proinptè , alacritérque faciendum
fuscipere : quemvis hominum , esto per se se
aspernandum , inamabilémque , & fœdis quæ
naturæ , quæ morum vitiis scatentem , perfe-
cta charitate , quasi fratrem , imò quasi alte-
rum se complecti , gaudendo , si quid pro-
sperum , & dolendo , si quid triste illi accide-
rit , quidquid agit benignè interpretando , &
sicubi erret , aut delinquat , amica potius mi-
seratione , quæm contemptu , odióque eum .

D 2

pro-

prosequendo. Hæc siquidem sunt ordinaria, & maximè communis materies, circa quam illi occasio se offert cum præfente sibi DEO consultandi, illiusque judicium, pro suorum judiciorum, affectuum, & actuum norma exquirendi. Quapropter, si meam roger sententiam, nullum inter omnia spiritualis vitæ exercitia esse dixerim, quod in virtute citò, & facilè ad eximiam sanctitatem provehendi animas huic possit æquari. Neque jam miror, quòd DEUS Abrahæ, coram se ingredi jusso, quasi certum, & proprium illius viæ terminum, perfectionem statim promiserit, dicens: *Ambula coram me, & esto perfectus.* (Gen. c. 17.)

17. Reliquum est, ut, postquam expusimus, per quos interiores actus perfectè anima cum DEO conjungatur, de tempore sacræ huic conjunctioni assignando, deque modo in ea sese fructuosiùs occupandi loquar. Et, quantum ad tempus ei propriè conveniens, dico, hoc esse non illud solummodo, quod in otio, & secessu transigimus, sed omne item aliud, quo inter homines versamur, & actionibus fungimur, quæ non totam necessariò mentis intentionem exigunt. prout sunt ambulare, vesci, & plerique arti-

um

um mechanicarum labores ; quarum actionum tempore potest facilè anima verè DEMUM diligens perpetuam cum eo conjunctionem sui retinere : dicando illi per singulas partes opus , quod tractat , & ad illum referendo , juxta modò dictam rationem , quæcunque in eo sibi accidunt . Imò cum iis ipsis occupationibus , quæ totam sibi vendicant mentem , cujusmodi exempli gratiâ sunt literariæ , potest , ac debet , quisquis spiritualem vitam seriò sectatur , si minus continuam , saltèm frequentē Dei præsentis memoriam conjungere : instaurando hanc subinde , tum ad horologii pulsus , tum quoties medio in opere nodus intervenit , non facilè , citra invocatam DEI opem , solubilis , tum per brevia illa intervalla , quibus seu ad librum aliquem capiendum dexteram porrigit , seu nocturni studii tempore lichnum emungit , seu à laboris perdiu continuati lassitudine oscitabundus respirat , seu qua alia de causa summam mentis contentionem abrumpit ; tum denique ubi aliquam minus ordinatam affectionem circa præsens studium excitari in suo animo senserit : putà tædii , si ex necessitate potius , quam sua sponte illi operam navet , vel inanis lætitiae de felici ejus progressu ,

D 3

dé-

déque laude , quam indè est relaturus , vel
solicitudinis , mœstitiaeque , cùm in eo aqua
sibi hæret , neque sat prospicit , quemnam
exitum sortitus sit labor . Quos , aliósque
tales affectus , seu pravos , seu imperfectos ,
quisquis omnimodam divini amoris purita-
tem cordi habet , nullo pacto admittere , aut
pati in se debet : sed simul atque eorum ali-
quem furtim irrepsisse , aut suboriri adverte-
rit , DEUM respicere , & coram eo , juxtā-
que ejus consilia , noxiū illud gerimen ex-
cindere .

18. Quod verò ad modum attinet , in-
terioris hujus exercitii fructuosè obœundi ,
tranquillus is esse debet , & quantum maximè
fieri potest suavis ; adeò ut , qui ei operam
dat , nè solicitus , anxiúsque sit , de conser-
vanda intrà se per diem totum præsentis DEI
specie expressa , distincta , & sensibili , quan-
tum ad omnia ejus adjuncta , quorum suprà
mentio à nobis facta est ; id enī neque factu
possibile est ; neque ad illius finem necessariò
requiritur , vel plus semper conductit , prout
satis declarat simplex ille intuitus , quo veri-
tates divinæ in contemplatione apprehendun-
tur ; qui licet minùs sæpe distinctus , & parti-
cularis sit , quād earundem cognitio , per se-
du-

dulam ratiocationem quæsita , huic nihilo-
minus ab interioris vitæ magistris , secundum
excellentiam , utilitatémque antefertur . Præ-
terquam quòd , et si specialis , & distincta per
diem totum DEI repræsentatio , ad animam
penitiùs cum eo conjungendam utilis foret ,
illam tamen violentis , anxiisque conatibus
quærere , usque adeò ad prædictæ intimioris
conjunctionis effectum nîl prodest , ut eum
potius impedit . Nihil quippe vel conduci-
bilius interioribus divini amoris exercitiis
est , quàm animi quies , & libertas ; vel adver-
sum magis , quàm violentia , & anxietas . Il-
lud itaque suavitas , & moderatio , quam hic
commendamus , requirit , ut quisquis con-
versari assiduè , fructuosèque cum DEO ex-
petit , curet quidem matutinæ orationis tem-
pore , illius præsentis imaginem quàm maxi-
mè expressam , distinctamque concipere , &
talem quoque , dummodo facile , & citra ni-
miam vim possit , per reliquum diem menti
impressam circumferre ; quòd si postmodo
(ceu plerumque contingit) inter medios vi-
tae actus , hominumque commercia , non ni-
si confusam , atque obscuram retinere illam
posset , nihil ulteriùs exquirat , aut fini suo ne-
cessarium existimet : sed pro eo , ut laboret ,

D 4

ni-

nitatürque , cum capitis defatigatione , & rerum , quas gerit , incommodo , ut D E U M clariori sub specie intrà , & circa se intueatur , studeat potius cum eo , quamvis per meram fidem cognito , de rebus differere , quæ interim aliæ post alias sibi obversantur , atque accidunt . Namque in his demum colloquiis præcipuus divinæ præsentiaæ , seu confusæ , seu distinctæ fructus consistit : ac propterea in his quoque potissimum , tanquam in totius exercitii hujus fine occupari debet : eorum subsidio interiores sui animi sensus ad perfectam sanctitatem componat , jámque brevius , jám diutius iis vacet , prout magis , minùsve aliis occupationibus distinebitur , & prout majoris , minorisve momenti res sunt , de quibus aget .

19. Præterea animadvertendum est , latitudinem spiritualem , quamvis utilissimum sit totius perfectionis Christianæ instrumentum ; ad hanc tamen , de qua loquimur , intimam conjunctionem cum DEO specialiter usui esse , ac propemodum necessariò requiri . Cum enim perpetuo conatu intendenda mens sit , neque ad res varias , & cogitari faciles , quales sunt terrenæ , ac sensibiles , sed ad unum longè abstrusissimum , & humano intellectu

al-

altius objectum ; liquidò appareat , sinè aliquo interiori adjumento , & solatio difficilimè eventurum (si tamen & sic eveniet) ut nostra imbecillitas laborem hunc , qua par est , instantia , & æquabilitate continuet . Quocirca cuilibet , qui curæ habet , totum diem , omnésque vitæ suæ dies , perfectè cum DEO conjunctus transfigere ; etiam , atque etiam commendo , ut aptioris modi causâ , studeat quanta potest cum hilaritate animi , sacræ huic occupationi vacare : persuasissimum habens , tali illam sibi pacto & fructuosiorem , ratione vivacum actuum , quos in ea continenter elicit , & continuari per facilem , interioris suavitatis causâ futuram .

20. Quod si artem aliquam sibi suggeri optaret , cuius ope ità hilariter , & jucundè conversetur cum D E O ; duas indicare illi possum , eximiè ad hunc finem efficaces . Prima est , ut juxta doctrinam in secunda parte nostri operis fusè explicatam , dulcis fiduciæ sensus erga DEUM concipiat : intuens illum cum de eo cogitat , aut cum eo agit , nequam ceu Dominum tetricæ indolis , ad iracundiam proclivem , quique assiduè in severam majestate in compositus , neminem patiatur ex suis famulis se alloqui , aut sibi astare .

D 5

ni-

niſi vultu humi prono , præque magnitudiniſ ſuæ terrore attonitum, & vix mentis compo- tem : ſed potiùs tanquam principem effuſiſ ſimæ benignitatis ad omnein humanitatem factum , & plūs quām paterni erga ſubditos a- nimi : qui niſirum pro amicis , atque filiis dignatur nos ducere , & tot , tamque mira in- credibilis erga nos benevolentia monumen- ta edidit , nec quidquam aut charius habet , quām nobis cum familiariter agere , aut arden- tiūs deſiderat , quām ut ſibi æternūm conſor- tes beatissimi regni ſui ſimus : quantum enim prior illa repræſentatio moleſtam , & gravem affiduam cum eo conſuetudinem redderet ; tantūm hæc posterior ad jucundam , atque a- mabilem eam reddendam valebit .

21. Secunda ars eſſe poterit , ſi inter actus voluntatis , ad noſtrām cum DEO conjunc- tionem ſpectantes , eos præcipue , ac frequen- tiūs uſurpemus , qui jucundi , & ſuaves natu- rā ſuā ſunt : actus nempe exultationis , & gau- dii , tum de infinita DEI beatitudine , & glo- ria ; tum de omnibus , quæ ex rectiſſima illi- us voluntate in mundo accidunt , amando , & hilari cum approbatione intuendo eorū ſin- gula , quatenus ab ipſo ſancita , & decreta : ſed ea ſpecialiūs ita hilariter , libenterque ac- ce-

ceptando, quæ aliquid molestiæ, detrimen-
ti, & incommodi nobis pariunt: veluti exem-
pli gratiâ, jacturam charæ, atque utilis rei:
improsperū alicujus consilii, negotiūque exi-
tum, aut illius obstacula, & remoras: quæ
ab hominibus adversùs honorem, volunta-
tem, commoda nostra fiunt: victus, soanni,
aut alterius necessariæ refectionis penuriam:
corporis vitia, imbecillitatem, lassitudinem,
morbos, animi perturbationes, anxietates,
mœrores, fastidia, quidquid demum bono
aliquo nos spoliat, aut illius adeptionem re-
tardat, dubiāmque, & difficultem reddit: &
quidquid itèm aliquid mali nobis infert, aut
illud aggravat, aut remedia impedit; adeò ut,
quoties hujusmodi quidpiam accidisse, mœ-
rorisque sensum excitari in animo adverti-
mus; protinus coram DEO, & in supernatu-
rali ejus lumine duo hæc recogitemus: pri-
mò, ipsum mundi Gubernatorem æquissi-
mum ab omni retro xternitate notis sibi de-
causis voluisse, ut id nobis eveniret. Secun-
dò eundem illum eventum, quantò molesti-
or naturali sensui est, tantò utiliorem spiritu-
ali nostro profectui esse: utpote qui & tantò
amplioris meriti occasionem præbeat; & à
rerum creatarum amore nos avellens, perfe-

ctæ

Etæ cum DEO conjunctioni aptiores efficiat.
 Tum verò post hæc proposita justissimæ incitamenta lætitiæ , illum esto naturâ suâ tristem eventum , quatenus tamen DEO placitum , & supernaturaliter nobis utilem , diligere ex animo incipiamus , déque illo , quantum maximè possumus, per expressum , ac formalem actum lætemur. Imò ut faciliùs vivaciorem , & magis sensibilem lætitiam in animo excitemus , extra quoque illam præferamus hilari vocis sono , exorrecta fronte , ameno vultu , incessu alacri , festivoque manuum plausu , & aliis exultantium propriis gestibus studeamus : immorantes his affectibus , quādiu reliquæ occupationes finunt , eorumque actus reiterantes , quoties novo resurgentis tristitiæ morsu vellicari animum sentiemus . Quæ ars ad spiritualem lætitiam perpetuò sartam teatam tuendam mirum quantū valebit : ità nempe animum componet ; ut ii ipsi casus , qui soli perturbare illam poterant , pro materia , & fomento illius sint .

22. En itaque , amans DEI anima , quæque apud te statuisti , uni prorsus ei vivere , qualis interior tuus status , atque habitus esse debeat . Nullam in eo debes pati æstimationem , nullum affectum , cogitationem nullam ,

lam, cuius objectum, causa, & finis non Deus sit: sed ipsum unum, totius diei, ac vitæ spatio habere pro comuni tuorum motuum principio, atque termino: ipsum unum magni pendere, & admirari, tanquam ens, ac bonum, præ quo reliqua omnia non nisi umbras entium, ac nihili imagines mereantur vocari: circa ipsum unum, & ea, quæ ipse vulnus, omnem amorem, curas, vota, atque gaudia occupare, tanquam circa objectum, quod totam cæterorum omnium amabilitatem cū infinita exuperatione in se colligit: ipsum denique assiduè præsentem intueri, cum eo assiduè, tanquam cum amantissimo Patre, & amicorum fidissimo, de omnibus, quæ tibi accidunt, aut in mentem veniunt, familiariter colloqui, inque ipso assiduè tanquam unico gaudiorum tuorum, ac totius felicitatis tuæ centro exultare, & quiescere. O vitæ genus nemini non amandum! qui illud probè consideret, quóque nullum cogitari potest beatæ Cælitûm vitæ similius.



C A-

CAPUT III.

Qualisnam exterior ejusdem vita esse debeat.



On tamen ad vitam usquequaque divinam sat est, ut interiores hominis actus à DEO, & propter DEUM sint, requiritur præterea, ut omnis quoque externa actio sit talis; quod tunc planè eveniet, si nihil agatur, quod DEO displicet, aut minus placet, nihil omitatur, quod DEUS fieri velit: & nihil denique non propter DEUM, aliave ratione, quam DEO maximè placita agatur. Cùm facile appareat, neutquam perfectè, atque omnino divinam esse posse vitam, quæ non ita ducatur, vel, quæ ita ducitur, perfectè divinam non esse. Superest tantum, ut planioris intelligentiæ causâ hanc illius perfectiōnem particulatim explicemus, quam, ut tota uno obtutu perlustrari posset, generatim solummodo innuinus.

2. Ordiendo igitur ab actionibus, quas vita exterior omnino divina tanquam sibi adversantes repudiat, & suscipi à suis sectatoribus vetat; in tria genera partiri illas pos-

sunt.

sumus. Primæ sunt, quæ, quod vel naturâ
suâ pravæ sint, vel justa lege prohibeantur,
DEO displicent, & patrari absque offensa il-
lius nequeunt. Circa quas nemo non videt
itâ comparatum debere animo esse, qui vitam
eiusmodi sectatur, ut nullum pestis, atque
exitii genus majori cum horrore devitet,
quâm earum vel minimam: certiorque sit,
nolle se ex iis ullam patrare, quâm certus ex
naturæ instinctu est, nolle ardentem in roguin
insilire, vel è turris fastigio deorsum se præ-
cipitem dare: nec de iis unquam cogitet sinè
extremæ abominationis sensu, tanquam de
objecto longè omnium tetrostimo: alienissi-
mam ab omni ratione, & similem portentî
existimans, nedum tam detestandæ rei electi-
onem, sed vel tenuem appetitus propensiun-
culam ad eam eligendam: esto amplissimum
quodque id facienti offerretur præmium, &
gravissimum quodque abnuenti intentaretur
supplicium.

3. Secundum obtinent locum, quæ nil
quidem turpitudinis à natura sua habent, ne-
que ulli divinæ legi repugnant, itâ ut per eas
DEUS offendatur; sed neque eidem placent,
imò re ipsa, apertèque ipsi placet, ab iis ab-
stineri. Cujus generis sunt, seu quæ in reli-
gio-

giosis ordinibus citra culpæ reatum vetantur, seu quas conscientiæ nostræ moderatores nobis dissuadent, seu à quibus nos ipsi experimur spirituali nostro profectui impedimentum afferri, quatenus & complurium leviorum culparum occasionem nobis præbent, & perfectam voluntatis libertatem imminuunt, & divinæ charitatis ardorem refrigerant, propriumque è contrario nostri amorem fovent, qui vel unica, vel præcipua eas volendi causa est. Unde, tria quoque alia, nec minùs manifesta subsequuntur earum imperfectionis indicia: nimirum quòd & D E U S repetitis interiorum hortatuum stimulis ad eas vitanas nos urget, & nos ipsi multoties inter rerum divinarum meditationem cælesti lumine uberiùs illustrati decrevimus ab iis abstinere, & vix unquam contingit, ut eas sine remorsu conscientiæ, animique inquietudine aggrediamur, & postquam patravimus, nullus in nobis pœnitentiæ, ac pudoris sensus supervisit. Neque dubitari potest, quin ab his quoque anima, non nisi ex DEO, & propter DEUM vivens, similiter abstinere debeat, ac si omnis eas volendi nedum justa ratio, verum etiam facultas deesset. Cùm enim nihil possit homo seu agere, nisi velit; seu velle, nisi

nisì causam volendi habeat, & talis anima non nisì à DEO accipiat volendi, quæcunque vult, causas, perinde est, quòd à D E O hīc non habeat, ac si nullam prorsus volendi causam haberet, omnīsque illi propterea, ut volendi, sic agendi facultas deesset.

4. Similes aliquo pacto his secundis, nisi quò nihil spiritualis noxæ, aut periculi creant, actiones tertii generis sunt: actiones nimirum quām plurimæ, innato hominis appetitui jucundæ, veluti exempli gratiâ non-nullas commoditates sibi indulgere, aliquibus studiis suo genio accommodatis vacare, videndi cupiditatem, hæc aut illa objecta intuitendo explere, hujus potiùs, quām alterius generis dapibus vesci, deambulandi, & captandæ auræ gratiâ domo prodire, hyemis tempore ad focum accedere, honesto lusu curarum seria remittere. Ad quæ, & alia hujusmodi omittenda, licet nullo seu peculiari DEI afflatu, seu prudenti nostrorum moderatorum consilio incitemur; neque ullo tamen ad eadem factitanda necessitatis, aut validæ rationis stimulo impellimur, & subigendi amoris proprii causâ, iis abstinere majoris meriti, ac DEO gratiior res foret. Neque aliud de his item actionibus dicendum

videtur , nisi opus esse , ut , qui nihil in agendo , præter majus DEI obsequium intuetur , iis sibi interdicat : utpote ad quas perfectus DEI amor , & studium ei magis placendi nullo pacto potest impellere .

5. Erit igitur operæ pretium , si , quoties occasio se præbet , faciendi aliquid sibi naturaliter volupe , putà comedendi oblatum in mensa edulii sapidioris genus , librum argumento , & stylo per amœnum legendi , sciscitandi de rebus , quæ curiositatis illecebra animum vellicant , egrediendi relaxationis gratiâ è cubiculo in hortum domesticum , aut quidquam aliud hujus generis agendi ; statuat protinus ab eo faciendo abstinere , dicens intrâ se : quamvis hoc facere humano meo sensui multum arrideat , illud tamen ex mortificationis studio relinqu magis DEO placet . Cur ergo mihi potius gratificari , quam ipsi velim ? Absit : nullo pacto id feram ; certum , deliberatumque est , meam hanc delegationem illius amori , & obsequio immolare . Erit , inquam , operæ pretium , si in qualibet prædictarum occasionum ita se gerere assuefcat . Vel enim genialis illa operatio ejusmodi erit , quam omittere omnibus rite astinatis ipsi sit integrum , vel ejusmodi , quam

quam suscipere à suorum Præsidum voluntate, seu gravi alia ratione cogatur. Si primum, exequetur circa illam, quod decrevit, ab eaque se continens, gratiorem DEO rem faciet, & plus apud eundem meriti acquiret. Sin verò secundum, audiet confessim rationes sibi intrinsecus suggeri, ex DEI voluntate, & obsequio petitas, quæ eligendam esse illam potius, quam repudiandam suadent: poteritque earum vi permotus, non sinè merito, & laude virtutis prius decretum suum abrogare; subjiciens: si ergo res ita se habet, quemadmodum quòd hæc actio cum naturali propensione mea congruit, supercedendum mihi illa censueram; sic eandem, quòd majori nunc D E I obsequio consentanea appareat, non meæ cupiditati, sed divinæ duntaxat voluntati morem gerens aggrediar. Ex qua agendi ratione primum cuique est videre, duas ipsi, & admodum quidem eximias utilitates proventuras: alteram, quòd nihil ex iis, ad quæ naturalis appetitus propendet, quæque ex mero instinctu illius fieri possent, faciendum suscipiet, sinè prævia supernaturali voluntate ab illo abstinenti, & sinè expresso rationum divinarum respectu, quæ ad id potius volendum, quam nolendum

se impellunt; alteram, quod multis quotidie
humanis oblationibus ex divino amore
suum genium fraudabit, plurimosque magni
meriti actus, & Deo valde gratos elicit, quos
alioqui, juxta innatas propensiones, & im-
perfectorum hominum consuetudinem ope-
rans, prætermisisset.

6. At quid statuendum ei erit circa illa,
quorum omissione, licet ad alicujus virtutis ma-
teriam pertineat, ac proinde secundum suam
speciem plus eorundem electione DEO pla-
ceat, dubitari tamen potest, num etiam in
particulari aliquo casu, & ratione habita in-
commodorum, quæ aliis virtutibus proveni-
re ex ea possent, majoris divini obsequii res-
sit. Veluti exempli gratiâ esset honesta ali-
qua corporis, animive refectione: quam sibi
denegare, ad proprium hoc pacto sui amo-
rem coercendum, videt homo esse quidpiam
ex genere suo laudabilius, & propterea Deo
magis acceptum: sed timet altrinfecus, nè
sinè illa propter suarum virium imbecillita-
tem minus habilis sit ad vacandum orationi,
& ad illa in proximorum salutem ministeria
obeunda, quæ cæteroqui secundum rationem
sui muneris sunt: nesciens proinde, utrum
melior perpensis omnibus sit mortificatio,

quæ

quæ in illa repudianda exercetur , an idonea rectè operandi facultas , quæ ex capienda illa provenit ; hæret igitur dubius , utra in parte reperiatur , & quærenda sit illa *voluntas Dei bona* , & *bene placens* , & *perfecta* , (c. 12.) quam D. Paulus Romanis commendat . Neque in hac sola , sed in pluribus quoque aliis materiis prædicta dubitatio habet locum : veluti in splendido aliquo munere , circa quod in contrarias sæpe partes ab humilitate , & charitate impellimur : à prima nempe ad illud recusandum honoris causâ , qui indè ad nos redundaret ; ab altera verò ad capessendum respectu utilitatis , quam eo fungentes afferre aliis poterimus : aut velut in cantu sacro , à cuius dulcedine hinc auditum titillari , indè mentem ad DEUM rapi experimur : dubii interim remanentes , plūsne mortificationis studium nos debeat movere ad negandas , an pietatis , ad præbendas ei aures .

7. Possem quæstioni huic respondere : ubi supernaturalia duo bona , inter quæ non appareat , utrum majoris ponderis sit , hoc ad unam , & illud ad oppositam partem nos urgunt ; à nulla prudentiæ lege nos cogi ad sequendos unius potius , quam alterius impulsus ; & consequenter , utrumlibet è contra-

riis quis eligat, æquè saltèm formaliter Deo placitum, neque opus esse, ut anxietate ultra torqueatur, eò quòd in operis materia subesse occulta aliqua inæqualitas possit: cùm hujusmodi inæqualitas, et si revera ibi existeret, nequeat, utpote imperspecta, & mentis aciem effugiens, nisi minima esse, spectarique tanquam morale aliquod nihilum mereatur, juxta D. Thomæ sententiam, quo authore: *Quod parum est, quasi nihil, accipit ratio.* Ità, inquam, respondere possem, si electuri appetitus non in unam magis, quàm alteram ex contrariis partibus vergeret. At, cùm in exemplis allatis nimiùm quàm manifestè naturalis appetitus, & ad rei electionem propendeat, & ab ejusdem omissione abhorreat, æquè itè manifesta metuendi causa est, nè ejusmodi affectionum diversitas judicii æquitatem depravet, efficiens, ut menti ità obnoxiae utriusque partis rationes ejusdem ponderis, & momenti appareant, inter quas, recta, & neutrò inclinante lance perpensas, facilimè discerni inæqualitas posset. Prædictâ igitur regulâ in præsens omissâ, duas ei alias opportuniiores substituo: primam longè certissimam, nempe ut, quisquis ità ambigit, spiritualis sui rectoris sententiam exquirat, & quod

quod ei magis probabitur, DEO etiam magis placere persuasissimum habeat: alteram minùs quidem certam, sed si prioris occasio, & facultas desit, inter reliquas optimam; ut nimirum coram DEO examinet, quid utilitatis rem facienti, quidque dispendii eandem omittenti eveniret: & si permodicum esse apparuerit præ contraria omissionis honestate, illud despiciat: sin verò magni ponderis; stantem ex adverso non necessariæ mortificatio- nis actum posthabendum ei putet.

8. Demonstrato hunc in modum, quid in agendo prætermittere oporteat, ut nostra exterior operatio sit omni ex parte divina, demonstrandum jam est, quid actionum necesse sit eandem ob causam suscipere. Harum porrò tria item nobis genera occurunt. Primum eas continens, quas omnino DEUS præcipit, adeò ut omitti sine offensa illius nequeant. Secundum earum, quas exerceri quidem amat, sed non ita, ut iis prætermisis, injuriam sibi fieri arbitretur. Tertium ex iis constans, quæ licet ex genere suo magis ei placent, dubitari tamen potest, num in his, aut illis particularibus circumstantiis secus eveniat. Quantum ergo ad primas, neminem fugit, quam eas suscipiendi volunt-

tem habere in animo debeat, qui D E O uni
vult vivere: voluntatem nempe tam certam,
promptamque, & instinctui illi similem, quo
corpora ad suum centrum feruntur; ut eas,
quotiescumque res, locisque ita fert, nulla
habita superandæ difficultatis, incommodi
subeundi, aut cuiuslibet alterius impedimen-
ti ratione, tanquam rem non modò justissi-
mam, sed & prorsus necessariam illico arri-
piat; neque id quidem *ex tristitia*, aut *ex ne-
cessitate*, tanquam ægre ferens illarum se præ-
cepto obligari, & servili pœnæ metu ad pa-
rendum violenter abreptus, sed cum alacri-
tate, atque gaudio, pro amoris potius exer-
citio, quam pro servitii jugo illas habens, ge-
stiensque, & eos Regii Vatis versiculos ite-
rans: *Portio mea, Domine, dixi custodire legem
tuam. In capite libri scriptum est de me, ut fa-
cerem voluntatem tuam. DEUS meus, volui, &
legem tuam in medio cordis mei.* (Ps. 118. ¶ 39.)
Sicut enim supremum Legislatorem plus se
ipso amat, fieri non potest, quin plus etiam
quibuslibet aliis naturaliter sibi charis obje-
ctis leges ab eo conditas amet, libentijsque
exequatur, quod ille præscribit, quam si ad id
faciendum à vehementissimo naturæ instin-
ctu urgeretur.

9. Nec

9. Nec dissimili cum voluntatis affectu
fusciendæ illi sunt actiones secundi generis,
quas licet omitti fas sit, gratius tamen Deo est
eas exerceri: cujusmodi sunt quævis ultronea
erga sanctissimam Eucharistiam, DEI param
Virginem, & beatos cæli cives obsequia, si-
gnificationes cultûs, eorum imaginibus, fe-
stis, atque aris exhibitæ, pii templorum o-
randi causâ aditus, frequens Sacramentorum,
divinæque rei usus, & quicunque præterea
exteriorès actus ad virtutem Religionis spe-
ctantes: cujusmodi sunt studia honoris sui
deprimendi, obsoleto vestitu, plebeiorum
munerum exercitatione, postremi loci dele-
tu, humili confessione propriorum defectu-
um, & reliquis artibus, quas Christiana de-
missio usurpare consuevit: qualia sunt jeju-
nia, cilicinæ vestes, inficta verbera, somni
parcitas, lecti durities, frigoris, astusque to-
lerantia, & quidquid ad corpus voluntaria se-
veritate castigandum, atque in servitutem re-
digendum facit: ut sunt quælibet charitatis
officia, quibus emolumenti aliquid, vel so-
latii afferri proximis potest; denique actus
omnes Christianarum virtutum: quarum oc-
casiones prætermitti ab eo non convenit, qui
amat vocatum Davide, *vir secundum cor Dei,*

E 5

qui

qui faciat omnes voluntates ejus : (Act. c. 13.) & profiteri cum Christo : Ego , quæ placita sunt ei , facio semper : (Joa. 8.) nisi quando obedientia , vel justa alia ratio , hoc est ipsius DEI voluntas , secùs præscribit. Imò neque solum promptè arripere , sed sollicitè etiam au- cupari eorum occasiones debet , consultans identidem secum , quid in his , aut illis cir- cumstantiis faciendum sit , ut DEO magis pla- ceat : quibus modis , atque actibus exercere humilitatem possit , quibus mortificationem , quibus charitatem , & reliquas ipsi acceptas virtutes.

10. Quamvis verò ad sedulam hancce industriam satìs incitare illum possit DEO magis , magisque gratificandi voluntas , pru- denter tamen faciet , si (quando acriùs ità in- cendi sua studia experietur) nobilissimo huic incitamento aliud idem addiderit , ex sempi- terna , & inæstimabili mutuatum mercede , quam D E U S remunerator largissimus no- stris pro suo obsequio suscepis operibus in cælo persolvit. Duo hæc igitur penitus men- ti imprimat , & persæpe in memoriam redu- cat : primò scilicet , claram DEI visionem , quantumcunque in suo genere sit exigua , ne- que gradu uno major ; quia tamen infiniti

bos

boni possessio est , sufficere ad constituendos
eā frumentos absolutē beatos : immensō nimi-
rum ditiores, & solidi pleniores gaudii, quām
si possiderent , quidquid divitiarum , volu-
ptatum , potentię , & glorię in præsenti vita
obtineri ab hominibus potest. Secundò, per
quemcunque actum virtutis jus à nobis ac-
quiri ad aliquem gradum visionis divinæ , hoc
est ad tantum illius modum , quantus per se
unum , sat valet ad efficiendos nos per totam
æternitatem absolutē beatos. Undè palam
sequitur , quocunque actu virtutis plus in-
comparabiliter lucri nos facere , quām si tunc
lucrareimur , quidquid naturalium bonorum ,
& terrenæ felicitatis non modò aſsequi , sed
vel optare ulli hominum licet. Cujus con-
ſequentiæ vim , & veritatem qui probè per-
ſpexerit , ſedulò animadvertat , tempus hæc
lucra faciendi eſſe admodum breve , & incer-
tum : tempus ſcilicet ſoliuſ vitæ præſentis ,
quæ utrūm vel dieculæ ſpatio proroganda
nobis fit , ignoramus : ſed , quantumcunque
prorogetur , elabi celerrimè ſcimus , eaque
præterlapſa , nullum jam reſtare in tota ſu-
ſequenti æternitate novis meritis cumulandis
momentum : *Venit nox , quando nemo potest o-
perari.* (Joa. 9.) Stimulans ſeſe hujuscemodi
anim-

animadversione, ad indefessam rectè operandi strenuitatem, & ad enitendum pro viribus, ut quamdiu præsens tempus sufficit; (futuri enim copia in incerto est) impigro illius usu æternam sibi beatitudinem amplius usque, ampliusque adaugeat.

II. Utque hic stimulus majorem incitandi vim acquirat, fingat animo opulentissimum Regem, venationis causâ è palatio egredientem jubere, ut ærarium suum recludatur; promulgeturque simul, licere omnibus famulis, quoad ipse domo aberit, illò ingredi, & quantumcunque libeat humorum, ac pretiosarum mercium sumere: cæterum, se à venatione redeunte, clausum denuò iri thesaurum, neque ulli potestatem futuram, vel obolum indè auferendi. Fingat, inquam, hujusmodi casum: & posteaquam secum reputaverit, quis hoc statu regiorum famulorum animus foret, ut reliquis omnibus curis posthabitatis, in ærarium subito irrumperent: quām inexplicabili cum aviditate congestis illic gazis manus injicerent, & quantum possent, spoliorum festinarent avehere: quāmque nullam sibi indulgerent laboris requiem, & nullum temporis tam pretiosi momentum à novis prædis asportandis otiosum sinerent;

mea

meminerit D E U M simili pacto immensos
cælestis sui regni thesauros recludere, plenis-
sima mortalibus universis facultate data , ac-
cipiendi indè , usque ad suum in vitæ fine ad-
ventum , quantumcunque beatitudinis , glo-
riæque voluerint : *Negotiamini , dum venio :*
(*Luc. 19.*) sed ità , ut simul noverint , trans-
acto illo termino , nullum ultrà tempus sic lu-
crandi futurum ; *quia tempus non erit amplius :*
(*Apoc. 10.*) colligens hinc , quām inæstimabi-
le sit præsentis nostri temporis pretium (quip-
pe cùm in quolibet fructuose occupato illius
puncto , non minùs acquirere boni possimus ;
quām quod satìs est ad nos efficiendos plenè ,
atque æternū beatos) justāmque ideo curam
concipiens , nullum sinendi ex tam pretiosis
momentis fructu suo vacuum transcurrere :
sed soliti mercatoris studia æmulando , qui
à prima die ad serum noctis nihil seu avidiùs
quærit , seu amplectitur chariùs , quām occa-
siones ditescendi , neque ulla vel lassitudine ,
vel satietate prohibetur , nè quæstus jam factos
augere novis quæstibus pergit .

12. Sed manè præsertim , simul atque è
somno emerserit , suscitare in se ipso ardore
hos debet , pro eorum incentivo illa D. Pau-
li verba adhibens : *Bonum autem facientes , non
de-*

deficiamus : tempore enim suo metemus , non deficientes. Ergo dum tempus habemus , oportemus bonum. (Ad Gal. 6.) Neque minus sibi instans , sequens urgens , ad quam pluriimas meritorum divitias eo die sibi comparandas , quam si ex DEI revelatione illum esse mortalis suæ vitæ novissimum sciret. Eja : quid moramur ? Facest omnis desidia. Ecce nunc tempus acceptabile. Frustruosè diem hunc expendamus. Curemus , ut sit dies plenus , dies fertilis , dies opulentiaz , atque ubertatis. Quantus in eo erit nostrorum operum , tantus & proveniunt modus. Tantus , dixi , immò sine illa comparatione amplior , cum quodvis in eo exhausti laboris momentum non minori remunerandum sit , quam æternæ beatitudinis præmio , nihilque tam exile facturi simus , cui non promittatur mercedis loco DEI ipsius , hoc est infiniti boni possessio. Age igitur , nè operandi tempus ultrà verbis teratur , quasnam virtutes exercere in hoc diei exordio possum ? Quas horâ , quæ huic primæ succedit ? Quas in quibuslibet aliis , suo deinceps ordine secuturis ? Ubi plures exercere fas est , nolo unâ esse contentus. Ex occasionibus rectè agendi usque adeò certum est , nulli , quæ se ultro offeret , per ignaviam deesse ; ut

quam

quām plurimas quoque alias solerti studio, & industria conaturus sim reperire. Tūque, ô Domine! huic voluntati meæ faveas, campum mihi aperiendo, ubi plura, & plura operari ex amore tuo possim. Impelle meos Præsides, ut durioribus me imperiis exerceant; provide, ut mei sodales finè sua culpa, largam mihi suppeditent humilitatis, & patientiæ materiem. Proh quantum hac de causa illis debebo! quantum tibi gratiarum persolvam! Quām impensè sorti meæ gratulabor! Illos pro maximè amicis habebo, qui adjumento mihi erunt, ut apud té plurimum merear. Illud lātissimum ducam vitæ meæ tempus, quo plus tuâ causâ laborans, altiorēm in æternitate visionis tuæ gradum lucrabor.

13. Quod postremò ad tertiam actionum classem pertinet, actiones nimirum, D E O quidem secundùm genus suum gratas, sed de quibus tamen dubitari potest, num in his quoque, aut illis peculiarib[us] circumstantiis magis ei placeant, observo, posse hoc circa illas dubium ex dupli capite oriri. Primum est alicujus personæ conditio, cui aliqua ex prædictis actionibus videatur minus conveniens: ceu exempli gratiâ magno Prin-

ci-

cipi publica sui demissio , vel seni invalido
Hierosolymitana peregrinatio : & ejusmodi
dubia , veluti eandem prorsus difficultatem
præferunt , atque alia , de quibus suprà ad
sextum , & septimum numerum egimus ; sic
absque ulla peculiari decisione possunt juxta
regulas ibi allatas resolvi . Alterum caput
est concursus , sive occasio simul oblata actu-
um honestorum diversi generis , qui cùm fieri
unà omnes nequeant , in incerto sàpe est , quis
nam eorum D E O gratiior sit , & quem pro-
inde , qui in omnibus placere D E O maximè
studet , eligere præ aliis debeat : num exem-
pli gratiâ certain aliquam diei partem in no-
focomio potius ægrotis ministrare ; an coram
Venerabili Eucharistia publicè in templo ex-
posita orationi vacando transfigere . Circa
quod dubiorum genus , ubi libera , nostri-
que arbitrii est electio , dico , præferendum
in ea , tanquam D E O gratiorem esse actum ,
qui vel ad virtutem excellentioris generis
pertinet , vel ad nostrum spiritualem profe-
ctum plùs confert . Quòd si electio etiam
num ambigua penderet , quia ex actibus de-
ligendis alter sit naturâ excellentior , alter
verò fructu commendatior ; vel quia alter in
hoc , alter autem illo in genere utilitatis plus

pa*

pariat , nulla tunc potior mihi regula occurrit , quām ut deliberans se ipsum examinet , numquid erga actus diversos , qui in contentionem veniunt , æquè affectus , & comparatus animo sit , an verò ex peculiari aliquo sui commodi , vel honoris respectu in hanc potius , quām in illam partem propendeat ; si enim se indifferentem deprehendet , certus esse juxta superiorem nostram regulam poterit , quidquid demum eligat , æqualiter DEO placitum : neque debet propterea supervacuis consultationibus tempus terere , sed ad unum quidpiam sese applicare , vel suomet arbitratu illud eligens , vel forti decernendum permittens : non quòd existimet , ullam huic vim inesse designandi , quid in rebus dubiis factu optimum sit ; sed nè in electione suo instinctu regatur . Sin verò proniorem se ad unam , quām ad alteram partem inveniet , satìs hoc illi erit , ut definiat , contra propriam voluntatem agendo ex divina certius voluntate se acturum . Tum quia , ubi inter partes ad eligendum propositas , quæ minùs grata homini est , vel cum hoc præjudicio voluntatis discerni ab eo nequit , minùsne bona , an melior sit ; sat perspicuè indè colligi potest , meliorem re ipsa illam

F

esse :

esse: tūm quia, licet revera non esset, qualis judici tam parum idoneo appareat, melior; tamen hoc ipsum, quod minus grata sit, sufficit ad illius electionem meliorem, ac propterea DEO acceptiorem reddendam. Cum per hoc ad innatam, & propriam electae rei bonitatem, secundum quam non nisi æqualis illa est, nova alia adjungatur extrinseca bonitas, quod nimis ab homine ex vincendi sui studio eligatur. Quæ accessio bonitatis parti alteri naturaliter gratiori, si ea eligetur, deesset. Neque forsitan abs re erit, si hic quoque praxis illa observetur, quam supra ad dignoscendum, quid in hisce casibus fieri magis expediat, esse utilem diximus: nempe ut, cum quis peculiari naturæ instinctu ad honestum aliquod opus, putat ad studium sacrum, experitur se rapi, statuat loco illius aliud quid potius pii operis agere; descendendo exempli gratiâ intrâ se: valeat studium in præsens, stat quippe destinatum hoc ipsi tempus, orationi potius, vel officiis charitatis impendere: auxiliando interim, num quæ ratio persuadeat, studium potius præferre: pro majori enim, aut minori hujus pondere fas ei erit, quod decreverat, vel mutare, vel exequi.

14. Ex-

14. Explicari jam postulant geminæ illæ conditiones, quas capit is hujus initio necessarias esse diximus, ut exterior vita hominis prorsus sit, atque ex toto divina: nimirum ut nihil fiat alia potiori de causa, quām quia Deo id magis placet, sive aliter, quām prout Deo magis placet. Ordendo itaque à prima, debet, quisquis totus DEI esse, unīque illi vivere statuit, non modò in nullis occupari operibus, nisi in iis, quæ grata esse DEO videt; sed neque in his ipsis occupari, nisi quantum grata illi sunt: adeò ut & hinc moveatur ad aggrediendum, quidquid facit, & hinc perget moveri toto tempore, quo id facit. Ad hanc verò propositi sanctimoniam, & puritatem servandam, usui esse illi poterunt monita sequentia. Primum, ut caveat temere, & moris tantum gratiâ ullum facere vel ex minutissimis, & maximè ordinariis actibus, seu Religionis, prout sunt aqua lustrali se aspergere, crucis signum suprà se manu formare, genu ante Eucharistiam obiter flectere; seu officiis humilitatis, veluti coram aliquo caput detegere, & inclinare, atque alia reverentiæ signa edere: sed in singulis hujusmodi actibus usurpandis advertat id, quod tunc facit, & deliberatè illud velit, interiori

consentaneo actu prosequens externam illius honestatem. Secundum , nè incogitanter ab una actione ad aliam transeat, sed actu expresso se admoneat novi operis , quod inchoatus est : præsertim quando ad actiones transitur , quotidie recurrentes, & sui munieris proprias , aut communi ritu loci illius, ubi degit , sanctitas : in his enim plus periculi est , nè ex cæca quadam consuetudine , vel humano suscipiantur respectu. Tertium , ut animadverso novo à se suscipiendo opere illud confessim DEO offerat , profitens , divinæ voluntatis causâ se illud aggredi. Quia in re non uno tantum supernaturali fine contentus esse debet , quando plurium ibi adest copia: sed observare , ad quotquot diversas virtutes pertineat; & quot spirituales utilitates afferre illud opus queat , & è singularum amore idem velle: curando tamen , ut singuli peculiares hi amores ad DEUM , tanquam ad supremum finem suum referantur , & à sanctissimo ejus amore , tanquam ab universali omnium principio , atque causa proveniant. Quartum, nè satis habeat , cum ejusmodi voluntatis fine , & proposito admovisse operi manus ; sed in reliquo item hujus progressu eandem illam redintegrare voluntatem

tem studeat, idque crebrius, aut rarius pro diversa conditione unius, alteriusve sui operis. Nam, si tale illud sit, ut totam operantis attentionem necessariò requirat, coiunctoriter loquendo, sat fuerit, ad singulos horologii pulsus eam instaurare. Sin verò non totam occupet mentem, redintegranda erit sèpius, per intervalla nimirum non longiora, quām ut possit aliqua ejus memoria per totum operandi tempus in animo præsens durare. Imò, si continuatio operis nihil est aliud, quām continua ejusdem reiteratio, quemadmodum in comedendo, ambulando, suendo, & aliis, quæ manuum labore exercentur, operibus; quoties aliquod ejusmodi opus novo in diversa materia actu iteratur, quoties putà alias, atque alias à comedente bolus ori ingeritur, toties quoque idem Deo poterit secundùm novam illam partem offerri: nisi tamen partes prædictæ (ceu gressus exempli gratiâ in ambulando) breves adeò, multæque essent; ut consultius videretur, earum oblationem per quinas conjunctim, vel senas, quām per singulas iterare. Quintum, ut specialius, & expressiori actu redintegrat conceptam initio voluntatem, non nisi propter DEUM operandi, quando ex su-

F 3

per-

pervacua aliqua solicitudine de sui operis exitu, vel aliis in præcedenti capite memoratis indiciis animadverteret, occulto humani alicujus finis respectu ad agendum se impelli. Ad cujus expulsionem debet omni studio, atque industria conniti, nec ferre ullo pacto, ut divini sui propositi integritas ulterius coquinari terrenis illius sordibus pergit.

15. Jam verò, ubi impleta rite fuerit prima hæc conditio operandi propter DEUM, & quia ipse operari nos vult; hoc ipsum sat incitamenti, atque causæ nobis suppeditat; ut alteram quoque impleamus, operandi juxta ipsum, & prout ipse operari nos vult, cum summa videlicet tum alacritate, & lætitia, tum studii contentione, & solertia. Communis quippe omnium, qui aliquid agunt, mos est, ut tantò libentius, & majori cum sedulitate suo operi vacent, quanto amplioris meriti est, cūjus gratiâ illud faciendum suscepere. Unde sapienter D. Ignatius suorum nonnulli, qui negligenter munus suum obiens, interrogatusque, cujus causâ operaretur, DEI causâ se operari responderat; graviorem dixit hoc nomine ignaviæ suæ culpam evadere, quæque laboranti pro hominibus condonari aliquatenus posset, nihil verò veniæ mereri,

in

in laboribus tanti Domini gratiâ suscep̄tis.
Non ergo par est, ut , qui vitam omni ex parte
divinam sectatur , ullum opus , divinæ vo-
luntatis notam præferens , & speciatim à su-
is sibi moderatoribus DEI nomine injunctum
illibenter suscipiat , & cum tædio , animique
molestia exequatur. Sed si quid naturâ suâ
molestem , incommodum , triste , ac genio
repugnans , ab iis , qui personam DEI ge-
runt , sibi agendum præscribitur , debet illud
non aliter , quām si à DEO ipso præscribere-
tur , obviis ulnis amplecti , gestiens in simu ,
& sibi met gratulans , quòd toto actionis illius
tempore cælesti suo Domino serviturus sit ,
quo nihil plūs amat , & cujus voluntatem exe-
qui , occupationis genus existimat , comes-
fationibus , ludis , venationibus , & quibus-
cunque aliis vitæ oblectamentis jucundius ,
Imò , quantò magis opus faciendum propen-
sionibus suis adversatur , tantò majori cum
gaudio ad illud se accingere , & versari in eo
debet: cùm certus esse possit , nullum ibi lo-
cum , nullásque agendi partes nativo instin-
ctui esse. Ità profectò , mi Domine , en me
paratissimum ad hoc , quod jussisti , exequen-
dum , toto illud animo volo , & amplector ,
tanquam rem omnium , quas hoc tempore

possem velle , & facere optimam : neque cum
ulla alia terrena occupatione delectabili , &
splendida commutatum vellem. Fruantur
profani homines delicatis suis animi remissi-
onibus , curarumque avocamentis , & otii ju-
cundè fallendi artibus ; omnibus ego illis hoc
opus antefero , chariusque habeo , quod in
eo tibi gratificer , & obsequii aliquid pra-
stet. Nempe hic unus est finis , cuius causâ
vitæ usuram accepi , hoc meum in terris po-
tissimum , maximique momenti est negoti-
um , imò hæc præcipua mea dælectatio , me-
rumque suavissimum pabulum. *Cibus meus*
est, ut faciam voluntatem tuam. (Joa. c. 4.)
Tali , inquam , cum hilaritate amplecti quod-
vis opus debet , quod sui Præsidis vox , divi-
næ voluntatis interpres sibi faciendum com-
mittit , cùmque eadem manus illi admovere ,
& cum eadem , si ejus absolutio plures dies ,
aut menses exigeret , quotidie ad illud prose-
quendum redire. Quod si temporis pro-
gressu sancta hujusmodi alacritas frigescere
inciperet , tædiūmque aliquod illius locò sub-
ire , & aviditas transeundi ad aliud quodpiam
gratioris occupationis genus , studeat , quan-
tum potest , ad pristinum fervorem eam in-
staurare : paratum se Domino offerens ad to-
tum

tum vitæ suæ tempus , si ità ipsi libeat , in eodem illo ministerio exigendum , & in conspectu illius profitens , quemadmodum in actionibus suis omnibus nihil aliud pro fine ultimo habet , quām divinam ipsius voluntatem ; sic eas omnes æquè charas sibi esse , neque ullam rationem offerri , cur unam magis optandam , & libentiùs exercendam putet , quām alteram : nisi ubi esset certior potiùs in una , quām in altera se ei placitum : quemadmodum in illis est certior , quæ , quòd naturā adversæ sint , amari , nisi ex motivo supernaturali nequeant . Ubi etiam duo habeo , quæ illi commendem : alterum , ut ad hujusmodi hilaritatem facilius excitandam , & fovendam in animo ; curet in exteriori quoque corporis habitu illius speciem præferre , quæ agit , vultu ad lætitiam composito , & motu celeri , ac vivido , instar hominis , qui rei sibi gratæ operam navat . Alterum , ut , quando aliquid ei faciendum est , quod suo genio minùs arridet , nè illud differat , & post actiones alias naturali suæ propensioni congruentes rejiciat : sed contra potiùs , quoad consueta quotidianorum actuum distributio permittit , primum ei , tanquam peculiariter charo , & dilecto in temporis ordine locum assignet .

16. Nisi quòd ad modum operandi, quam omnino DEUS vult, non satis est, cum hactenus dicta voluntatis plenitudine, & alacritate operari, sed necesse habet præterea omni studio curare, nè in operibus suis vel minimum quid de summa, quam obtinere aliquin possunt, sive interiori, sive externa perfectione deficiat: non minori cum sedulitate, industria, & solicitudine agens, quæ ex amore, & voluntate DEI agit, quam si in amplissimo quodam theatro universitatis totius oculos in se intentos videret, *spectaculum factum mundo, & Angelis, & hominibus*: imò juxta sensum Doctoris Angelici ita se totum civili bet actioni suæ impendat, *quasi tota salus sua, & omnis laus DEI, & universitatis utilitas ex uno illo opere dependeret; quasi nunquam ad id opus reversurus, neque opus postmodum aliud facturum.* (Opus. 62. de Div. Mor.)

17. Quòd si ad id rite præstandum institutionem magis particularem, & distinctam optaret, his regulis uti poterit. Primò studeat perficere, quidquid agit exterius, adjectione illorum interiorum actuum, per quos coram DEO externa opera dignitatem manuscuntur, & pretium: quales duo hactenus commendati sunt, nempe D E U M pro fine
ope-

operandi habere , déque sua in operando di-
vinæ voluntatis executione lătari : non satis
habens , supernaturalibus his ornamentis il-
lius principia decorare , sed attentiſſimè eti-
am proſpiciens , ut integra in eodem usque ad
finem perdurent : néve ullo temporis tractu
eorum loçò fubeat , aut cum illis misceatur ,
illorūmque puritatem corrumpat , ſeu terre-
ni alicujus finis ærugo , innasci ſæpe ſolita o-
peribus ſuâpte naturâ jucundis , & ab homine
ultro delectis ; ſeu acedia , & torpor , unde
coquinari mos eſt opera minùs grata , &
juſſu alieno fuſcepta .

18. Secundò , præter hujusmodi perfe-
ctionem interiorem , ac moralem , quæque
cunctis operibus convenit ; aliam quoque u-
nicuique ſuo operi conetur ſuperaddere ex-
teriorem , ac physicam ; quæ pro operum di-
versitate diversa , atque in eo poſita eſt , ut
ſingula omnibus , quæ ſecundūm propriam
ſuam ſpeciem ſibi debentur , partibus , ac nu-
meris conſtent : unde , quisquis illa intuetur ,
juſtam habeat rationem dicendi , nihil ibi de-
ſiderari ad omnimodam afſolutionem , cle-
gantiāmque , & conciunitatem poſſe . Id au-
tem præſtabit , ſi in quovis opere , quantum
fas eſt , proprium , & particularem illius fi-

nem

nem assequi curet; putà in cibatu refectio-
nem virium, in studio adeptionem ulterio-
ris doctrinæ: quem finem haud utique in pri-
ma prædictarum actionum consequeretur,
qui vel præ immodico abstinentiæ studio mi-
nùs plerumque cibi sumeret, quàm naturæ
opus sit; vel gulæ, atque abdomini serviens,
nimio se ingurgitaret, eoque deletabili po-
tiùs, quàm salubri alimento: quemadmo-
dum neque in secunda eum obtineret, qui stu-
diis operam daret, vel remisso, & dormitan-
ti animo, vel absque iusta methodo, explen-
dæque potiùs curiositatis, quàm solidi pro-
fectùs causâ. Advertendum est tamen, ità
hunc finem particularem, quæque in eo præ-
cipuè consistit, physicam operum perfec-
tionem quæri oportere, ut illius cura morali
corundem perfectioni nè officiat. Quod
eveniret, si operans absolutè, & omnimo-
dè illum assequi vellet: cùm illius assecutio
non semper in nostra sit potestate, neque De-
us instrumenta ad eam necessaria semper sup-
peditare homini velit; quapropter hoc per-
fectionis physicæ genus diligentissimè qui-
dem, quoad ejus fieri potest, consecrandum
operanti est, sed diligentia prudenti, & tran-
quilla: ità ut in ea quærenda non utatur, nisi
ho-

honestissimis artibus; & si iis adhibitis, illud tamen ob aliarum conditionum necessaria- rum inopiam, non se posse assequi videt; arguat hinc, DEUM non aliam, quām moralem perfectionem à se velle: eaque proinde contentus sit, tanquam ea, quæ una absolutè necessaria homini est, quāmque unam semper DEUS exigit, atque in promptu obviam, & parabilem esse omnibus voluit.

19. Tertiò, quemadmodum curæ esse illi debet, ut sua opera efficiat cum omni tam physica, quām morali perfectione, cuius unumquodque est capax; sic in procinctu ea aggrediendi, pro utroque effectu consequendo, DEI auxilium imploret; auxilium exempli gratiâ in cibatu, ut & nutrimentum, quod sumet, non noxiam, sed utilitatem corpori afferat; & modus, quo illud sumet, non damnosus, sed salubris animæ fit; auxilium in studiis, ut & scriptio, quam præ manibus habet, sibi ad votum succedat, hoc est juxta artis regulas, & suus circa eam labor sit, qualis DEI famulum decet, ad Christianæ nimirum perfectionis normam respondens. Et auxilium denique ad utrumque ex prædictis usibus in alio quovis opere. Nisi quòd perfec-
tio moralis petenda est absolutè, & quanta
esse

esse maxima potest ; physica verò cum indiferentia, cùmque tacita conditione, si, & quam tam obtinere ex majori gloria DEI sit.

20. Quartò, si plura instent agenda, cautεat eorum tempora, & curas importuna anxietate confundere : neque p̄ræ nimia de actionibus securis solicitudine properantius justo obeat, & necessaria attentione defraudet p̄ræsentem : sed cuiuslibet rei cogitationem in tempus, quo facienda erit, referens, toto animo, summāque cum quiete illi vacet, quam tunc habet p̄ræ manibus, velut rei, quam DEUS ab eo unam per id tempus requirit, & tanquam si post illam nihil p̄ræterea sibi agendum restaret. Quam in rem proderit, si intempestivâ, p̄ræpostera actionum futurarum curâ stimulari sibi animū sentiens, observet, unde illa originem ducat. Et si ex nimia timiditate, ac diffidentia oriri perspexerit, conetur tumultuantem sedare, partim animos sibi addendo, tanquam sat temporis habituro, ad ea omnia, quæ instant, quietè, maturèque absolvenda; partim secum reputando, sollicitas illas de rebus futuris cogitationes nihil sibi opis conferre, ut eas commodiùs suo tempore efficiat, sed eò solum valere, ut inaniter perturbetur, & quæ

quæ tunc agit, minùs studiosè, attentéque agat. Ubi causam, radicemque illius esse deprehenderit inconsultam plura agendi, & temporis lucrandi aviditatem, comprimere hanc studeat, reminiscens, nostra opera propondere potius, quām pro numero apud DEUM æstimari, & quemadmodum aureus numus vel unicus plurimis æreis pretio antecellit; sic opus sæpe unum eximio virtutis nisi superactum vel sexcentis tumultuariis, & parum exactis præstare. Ubi tandem effectum illum esse agnoverit humanæ, & peculiaris propensionis ad aliquod ex operibus, quæ deinde est aggressurus, prius universale propositum suum instauret, nihil in quovis æctu præter divinam voluntatem quærendi: considerans, si ita verè compositus animo sit, nullam prorsus causam se habere, cur inter actiones æqualiter à D E O volitas majori in unam, quām in alteram studio feratur: ideoque par esse, ut, quemadmodum in ea, quam habet præ manibus, totum, ac plenissimum DEI placitum reperit, sic eidem totus, & plenissima cum voluptate animi vacet.

21. Quintò, inter externa ministeria ob-eunda, servare illud curet Ecclesiastici monitum (c. 31.) *In omnibus operibus tuis esto velox: stre-*

strenua cum agilitate illa exercens , gnavi , & fidelis servi instar , qui officia ab hero sibi injuncta exequi properat , quò plus nanciscatur temporis ad alia deinceps pro illius iussu exercenda . Qua in re tamen cavendum est , né nimia exterior festinatio interiorem animi quietem , & cum DEO conjunctionem perturbet , néve impedimento sibi sit , quò minus debita cum perfectione opus suum exequatur : prout facilè eveniret , si , qui imbecillo corpore est , properantiùs in operando se uerget , quàm vires suæ ferant : juxta communem usum loquendo , xstate , & robore integris fervens , ac strenua , senibus , ac valetudinariis moderata , & quieta agendi ratio magis convenit .

22. Sextò , dum orationi , aut divinæ rei vacat , duo specialiter , ceu maximè propria facti illius ministerii , atque temporis curanda sibi esse noverit . Primò mentis attentio nem ad DEUM , utpote quæ tantò in his , quàm in aliis profanis actionibus enixiori studio indiget , quantò in his , quàm in illis & magis necessarium , & minùs facilè est eam fixam , immotámque servare . Secundò exteriorem reverentiam , congressu , affatúque præsentis DEI dignam : cuius specimen ap-

p^a

parere debet tum in capite , & oculis , nequam
huc illuc se leviter circumagentibus ,
sed in humum dejectis , vel in cælum erectis ;
tum in manibus , brachiisque vel expansis , vel
supplicum , & adorantium more ante pectus
conunctis ; tum denique in totius corporis
situ , vel genibus nixi , vel stantis , vel supra pa-
vimentum humiliter provoluti . Quanquam
in aliis itèm quibusvis actionibus , & diei par-
tibus debet amans DEI servus , quique illum
affiduè præsentem intuetur , ex cælestis Do-
mini sui reverentia humilem quamdam , sed
juxta hilarem in toto exteriori habitu corpo-
ris modestiam præseferre , quæ & circumstan-
tes pio rerum divinarum sensu afficiat , & ipsi
quoque adjumento sint ad intimorem cum
DEO conjunctionem .

23. Septimò , stabilem , quantum fieri
potest , & eundem semper in operando , vi-
vendóque ordinem servet : quotidianas suas
exercitationes haudquam modò hoc , mo-
dò illo tempore obiens , neque easdem jam
brevius contrahens , jam diutius extendens ,
prout cerebra , & nunquam non varia ge-
nii indoles suadet : sed singulas potius eadem
semper diei parte , & per idem semper tem-
poris spatium : prout certo consilio , & ma-

G

tu-

tura rei deliberatione præmissa semel in perpetuum statuerit. Adeò ut quilibet subsequentium dieruin, spectato actionum inter se, horarūmque connexione, quam simillima dici possit præcedentium imago, & ad cognoscendum, quales ex sint, sufficiat vel unum ex iis vidisse.

24. Atque hæc dicta sunt universim circa perfectissimam, hoc est divinæ voluntati quam maximè consentaneam, externa quævis opera faciendi rationem. Nam ire per singula, & quinam huic, quique illi modus conveniat, speciatim distinguere, præterquam quod prolixia admodum tractatio esset; occupata jam pridem est ab Alphonso Janotto, in libro, cui titulus: *Praxes spirituales*; ad quem propterea peculiarium ejusmodi institutionum cupidos mittimus.



C A.

C A P U T IV.

De impedimentis , quæ prædictam vivendi rationem sectantibus se objiciunt : & primò de illo , quod ab hominibus provenit .

Dulcherrima procul dubio , effacxque ad rapiendos in sui amorem , quicunque eam contemplatur , idea est , atque imago vietæ prorsus divinæ , quam præcedentibus capitibus expressimus . Sed nec paucā , nec levia sunt impedimenta , quæ illius perfectioni , & stabilitati partim ab hominibus , partim ab externis occupationibus , partim à corporis inaletudine objici solent ; de quibus juxta ordinem modò dictum pergemus agere : ut rite prævisa , minùs dein facessant negotii , & commodiùs seu è medio removeri , seu superrari queant .

2. Et ad homines primùm quod attinet , nemo est , qm experiatur , quantum à quieta cum DEO conjunctione avocet , quotque quotidie imperfectionum in materiam supeditet eorum convictus : cùm in causa sit , ut vel plus æquo illos amet , & redamari ab iis

studeat: vel eorum judiciis nimium deferat, pro eximia forte habens in pretio apud eos esse, proque ingenti contrà calamitate ab iis despici: vel pro eo ut mentem occupet circa suos in vita spirituali progressus, de illorum dictis, factis, moribus, atque eventibus cogitet: vel tempus, quod in sacris studiis, & rerum divinarum meditatione collocare utiliter poterat, otiosè cum iis confabulando, & garriendo absumat. Effectus enim vero, qui neque conjungi cum vita usquequaque divina possunt, neque omnino vitari, nisi quis aut eorum occasionem defugiat, in loca sola, & avia, cum Paulis, Macariis, sanctis que aliis eremi cultoribus, ab omni hominum consuetudine, aspectu, & notitia secedens, aut altissima DEI aestimatione imbutus, eumque assiduè presentem circumferens, mortales, inter quos agit, *coram eo*, præque illius infinitate sic intueatur, *quasi non sint*, hoc est si nè ullo propemodum nativi eorum nihili sensu. Quod est in mediis hominum turbis non aliter, quam desertis in locis vivere, & magnarum urbium frequentia vacuam sibi solitudinem facere, illorum instar principum, qui juxta Jobum, (c. 3.) ædificant sibi solitudines. Atque huic posteriori viæ nos in-

insistemus, demonstrantes nimirum, quoniam pacto quilibet servus DEI possit nihilo minus tota illi mente, totoque animo conjunctus inter homines degere, quam si ferrum tantummodo socius, in deserto aliquo scopulo, vel remotissimis Aegypti solitudinibus viveret.

3. Nè igitur ab hominibus, in quorum medio vitam agit, aliquid spiritualis noxae contrahat; cavendum primò illi est, nè erga eorum quemquam inordinato, & sensibili amore afficiatur, ita ut assidue de illo cogitet, vel brevem illius absentiam iniquo animo ferat, de quibuslibet ejus malis praeter modum contristetur, majorēmque justo ferat curam, ei in omnibus gratificandi, & nullam offensionis ansam præbendi: pro certo habens, si aliquem det in suo animo terrenis ejusmodi affectibus locum, nedum impossibile sibi futurum DEO penitus adhærere, sed magnum etiam impendere discrimen, nè ad ipsum graviter offendendum eorundem vi rapiatur: prout Adami, & Salomonis exempla testantur, qui, nè uxoribus nimis temere amatis displicerent, induci se passi sunt, hic ad falsorum numinum cultum, ille ad glutiendam in vetiti pomi esu suam unā, & totius postē-

ritatis suæ mortem. Et quoniam tali amore eos prosequi in priuatis solemus, qui vel extra nei nostri sunt, vel natalium splendore, formæ elegantia, indolis suavitate, similibusque aliis naturæ dotibus commendantur, ideo advertere specialiter debet, nè id genus personas ob prædicta decora amet; sed ob eas potius communis charitatis rationes, unde ad quoscunque alios mortales amandos impellitur: neque aliter illas amet, quam personas, nullo naturali merito amabiles, barbaras, deformes, plebejas, suóque à sensu, & ingenio abhorrentes, amare DEI causâ confueverit. Adeò ut quemadmodum de his extra locum, & tempus non cogitat, neque aut eorum præsentiam cupidè ambit; aut de adversis eorum casibus plius justo angitur, aut si religiosæ militiæ nomen dedit, profanis eorum negotiis se implicat; aut veretur peccantes arguere, & si quid minus justè flagitant, iis denegare; simili modo, & affectu æquè libero, sui potente, moderato, & rationabili erga illas se gerat; nisi quod, ut certior sit, omnino divinum, & sinè ulla terrenæ fæcis mixtura amore in suum esse, debet, veluti erga se ipsum, sic erga personas sibi naturaliter gratas severitate aliqua uti, qua-

cætero qui erga alias diversæ conditionis nullo pacto uteretur: minùs videlicet de terrenis eartum negotiis cogitans: rariùs, & sinè pecularis benevolentia significatione cum iis agens, & charitatem ipsis debitam sancto illo temperans odio, quod adversus personas ejusmodi à quibuslibet Euangelicæ doctrinæ alumnis DEI Filius requirit, disertè apud S. Lucam pronuntians: *Qui non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* (c. 14.)

4. Neque minùs noxæ afficeret, si cuperet simili, hoc est naturali, & humano affectu ipse ab aliis amari; talis siquidem alienæ benevolentia appetitus, præter divisionem animæ, non valituræ jam uni se D E O totam impendere, posset illum facilè, sive ut vicem aliquam amantibus referat, sive nè eorum erga se amorem restinguat, ad iis etiā contra fas obsequendum impellere: adeò ut nedum multa plurimū cæteroquin DEO placitura prætermitteret, sed nonnulla etiam ipsi apertere injuriosa patraret: Pontii Pilati instar, qui, nè Cæsaris amicitiâ excideret, D E I Filium, ipsammet nimirum innocentiam, crucis supplicio per summum nefas damnavit. Nè igitur

tur visco tam fallaci , & pernicioso implicitur , providendum perquam sedulò ei est , nè ab ullo hominum , nisi promiscua , & supernaturali charitate amari velit : néve aliquem propensiùs erga se affici videns , de peculiari illo ejus affectu gaudeat , mutuæque benevolentiaz significationibus fovere illum curet ; sed oderit potius , atque horreat , quasi prætentum libertati suæ laqueum , omnésque industrias , & artes adhibeat , quæ extinguedo illi sufficient ; quales esse possunt , nullum promere indicium , unde illum sibi gratum accidere , imò vel animadversum , cognitumve esse arguatur : conversationem ità se amantis , quantum citra inurbanitatis notam fieri potest , vitet : & quoties cum eo agit , verbis utatur communibus , imò etiam frigidioribus , quām quæ usurpare in aliorum congesibüs solet : palam ei faciat occultos suos defectus , earumque dotium tenuitatem , quarum causâ se amari ab eo videt : liberè demū , securéque cum eo agat , neque ullo ipsius triflitiæ , aut offensionis metu absterreatur , quin , quæ vera sunt , esto auditu minùs grata , ei candidè aperiat ; quin eum prætermissi aliqua in re officii fidenter admoneat , & illius votis , & studiis , si fortè minùs recta sint , in-

tre-

trepidè obsistat. Hujus libertatis insigne illi exemplum potest esse sanctissimus Domini Præcursor, Joannes Baptista: qui licet Herodes plurimùm sibi deferret, inque multis obtemperaret; nullo tamen seu respondendi benevolentiae ab eo sibi exhibitæ, sive ejusdem conservandæ, seu cavendi, nè illius contra se iracundiam provocaret, humano respectu impediri unquam passus se est, quo minus constanti ausu inculcare ipsi pergeret, severum, disertumque illud: *Non licet tibi,* quo cæteroqui sat noverat delicatis, & superbis illius auribus nihil posse ingratius accidere.

5. Similis, & similibus de causis convenientis cura est, quam insuper debet suscipere, proscribendi ab anima cupiditatem præclaræ existimationis, & famæ apud homines: ut potest affectum, & divini amoris puritati quam maximè aduersum, & tam altè cæteroqui à natura homini insitum, ut quovis penè temporis puncto alii, aliisque illius motus in voluntate excitentur, nec minus ad eos præcavendos, quam perfecta virtute penitus comprehendendos perpetuâ vigilantiâ opus est. Ut verò utrumque melius præstet, utile erit, primò inter matutinam orationem firmum

G 5

in

in animo, & universale decretum concipere, nullum voluntariè admittendi humanæ æstimationis, gloriæque appetitum: propositis sibi, & rite perpensis tum impedimentis, quæ indè sibi provenirent ad perfectam conjunctionem cuin DEO; tum indignissimis contumeliis, & probris, quibus DEI Filius affici voluit, ut suo nos exemplo ad humani honoris neglectum, ac fugam induceret; tum nullo vero, ac solido fructu, quem ex quibusunque hominum plausibus vel in praesenti sæculo, vel in futura æternitate possit percipere. Secundò, post decietum modò dictum, solerti animadversione prævideat, ubinam illo die aliqua titillari queat humanæ laudis cupiditate, & dulcedine, contraque blandas id genus aggressiones opportunè animum muniat. Tertiò, quoties è conclavi ad conspectum, & commercia hominum prodit, idem illud decretum, eandemque illam animi præparationem instauret, providè sibi cavens, ceu qui in regione suspecta, & hostium insidiis exposita ambulat. Quartò, studiosè, & solicitè occultet, quæcunque conciliare apud alios ei possunt ingenii, doctrinæ, virtutisve famam: clam, dissimulanteque, quantum potest, suos religionis, cha-

ri,

ritatis, mortificationis, & humilitatis actus
exercens: neque illa se decipi dolosa spe si-
nat, quod nempe, licet talia ab hominibus
advertantur, sequere in altiori estimatione a-
pud eos ponant, integrum nihilominus ab
hujus delectatione conservaturus animum
sit. Quinto, eadem de causa nullum, sive
in loquendo, sive in gradiendo, sive aliis in
gestibus authoritatis specimen preferat, tan-
quam si venerabilis persona esset, primarum
que partium, & non sicut ceteri hominum: sed
cum omni potius submissione inter alios ver-
setur, quasi homuncio gregarius, minimi-
que pretii, & omnium postremus. Sexto,
in familiari consuetudine nunquam de se, &
suis rebus loquatur, neque occasionem ulli
preferat honorifice de iisdem loquendi. Quod
si aliquis ultro ipsum, aut aliquid rerum ipsius
commendare institueret, ne illo sermone
delectetur; cumque progrederetur, sed stu-
deat aliorum deflectere: vel si adverteret,
falso se, & supra modum in re quapiam lau-
dari; admoneat sui erroris laudantem, serio
illi vultu, & sincera confessione eos comen-
datæ rei defectus aperiens, quorum ignora-
tio in causa est, ut eum magni faciat. Se-
ptimo, dictionem publicè recitandam, aut

li-

librum typis imprimendum scribens, vel ad simile aliud ingenii, doctrinæque specimen exhibendum se præparans, solicite attendat, nè plausum expectatio, quos referre indè potest, vel secundaria sibi sit præsentis actionis suæ causa: identidem profitendo non sum in illo labore, sed unius DEI gloriam se querere. Octavò, nè ullo præcipue otii, & cessationis tempore, intentos in se oculos habeat, laudésque olim sibi impertitas, aut eximiām opinionem, quam possint de se alii in animo gerere, tacitis cogitationibus revolvat: sed ab illecebrosis his imaginib⁹, simul atque se objecerint, mentem avertat, nullo sibi vel brevissimo venenatæ earum dulcedinis gustu permisso.

6. Quemadmodum porrò volens totus DEI esse, hominum estimationem, & laudem non querere; sic neque eorundem contemptum, ac vituperationem debet metuere. Talis quippe timor, animum subiens, omnem indè confessim libertatem, quietem, ac simplicitatem extrudit: infinitis illum contrà perturbationibus, anxietatibus, & curis replendo, tamque misere alienis subjiciendo iudiciis, ut horum respectu, *non, quod vult bonum, agat, sed, quod odit malum, faciat: neque*

que solum minus malum sui contemptu apud homines divinæ gratiæ jacturam existimet ; sed vitandi illius causâ nîl insuper dubitet , (quod cæteroqui incredibile videretur portentum) vel ipsi sempiternæ suæ saluti nuntium remittere , volénsque ultro , ac sciens in tartarum ruere : ut à pluribus fieri toties videmus , qui in singulari certamine lethali saucii , malunt moriendo inexpiati ab hoc scelere , æternis damnari inferorum suppliciis , quām deprecando ab adversario vitam , ignavi , & meticulosi animi infamiam apud vulgus subire . Tanta est humanorum respectuum in animas , quæ iis serviunt , tyrannis , tantamque ad ultima quæque illas sceleras , & exitia obtorto quasi collo pertrahendi vim habet . *Eft, qui perdet animam suam pre confusione. (Eccli. c. 20.)*

7. Nihil igitur diligentiae , & laboris omissendum servo DEI est , ut pestem tam noxiā radicitus ex animo evellat ; sed quinque his apprime utendum præsidiis , quæ illi tanquam maximè ad finem profutura subjicio . Primum est , frequenti consideratione menti insculpere , quām non modò æternis animæ rationibus inimicum , sed suâpte etiam naturâ vile , ac miserum sit , ab alienis

ju-

judiciis in agendo pendere. Cùm , qui ita
comparatus animo est , omni penitùs liber-
tate se abdicet, neque uni duntaxat, vel alteri,
sed tot Dominis servum addicat , quot sunt,
quibus probari studet : juxta illorum potius
ingenia , atque sensus , quàm secundùm pro-
pensionem , & voluntatem suam vivens : ne-
que audens quidquam facere , quod displice-
re illis possit , quantumcunque sibi volupe ,
& cominodum sit ; sed vel penitùs illud præ-
termittens , vel non nisi furtim , timidèque ,
& procul arbitris faciens : imò eadem dissi-
mulatione potiorem affectuum suorum par-
tem intrà animum premens , anxièque se ip-
sum observans , nè quid imprudens agat , vel
dicat , quod aliis occasionein aspernandi , ir-
ridendive se præbeat : singulos demum ho-
minum servili cum submissione , reverentia ,
& timore intuens , quasi in potestate eorum
sit , ut miserum , vel felicem se reddant , ni-
hilque propterea toto die aut sollicitius devi-
tans , quàm ab eorum ullo improbari , aut
enixius contendens , quàm omnibus iis fa-
tisfacere. Quod tam inquietæ , abjectæque
servitutis genus si accuratè perpendat , fieri
non poterit , quin ejus fastidio , & generosa
indignatione commotus , in has voces erum-
pat;

pat: & quam tandem isthæc judicia, & dicta
hominū nocendi vim habent, ut à quoquam
mereantur timeri? Sarissæne sunt, quæ trans-
fodian: acinaces, qui trucent: bombardæ,
quæ discerpant: fulmina, quæ in cineres re-
digant? Imò nihil aliud, quam inane phan-
tasma, in alieno capite effictum, & quam vo-
cis evanidæ sonus, ex alieno ore in ventum
erumpens; & dignum factu ego duxerim,
præ larvarum tam futilem formidine liber-
tati meæ nuntium remittere, quotquot in ter-
ra hominibus degunt voluntariam servitu-
tem servire, & cujuſvis alterius arbitratu
potius, quam in eo vitam transfigere: idque ne-
dum ſinè ullo incremento, sed & maxima
cum meritorum diminutione apud DEUM?
Nequaquam profectò: apage à me tanta ve-
cordia; ex divinæ quidem charitatis impulſu
circa multa morem proximis geram, pro di-
verſa eorum voluntate alia agens, alia omit-
tens; ex humano verò, & servili eorum æ-
ſtimationis, gratiæque respectu nedum face-
re, quod displiceat, aut omittere, quod pla-
ceat DEO, sed vel digitum movere, imbe-
cilli, & humiliſ animi ſpecimen rebor.

8. Secundum præſidii magis practici ge-
nus in eo conſiftit, ut juxta prædictum Chri-
ſtia-

stianæ magnanimitatis instinctum , nè quem-
quam ex hominibus præter modum verea-
tur , esto ille Dominus , famulus , regali di-
gnitate conspicuus , aut plebeji loci , atque or-
dinis sit : néve idcirco , si quando agendum
sibi cum eo est ; minùs liber ab omni anxi-
tate , minùsque ad retinendam tunc DEI me-
moriā idoneus illi adstet ; quām si infimo
cuivis mortalium adstaret : aut illum allo-
quens , præ nimia trepidatione , & confusio-
ne animi hæsitet , séque impedit , sed quæ
dici opus est , tam libero spiritu , tam constan-
ti voce , tam sedata oratione , tāmque securo ,
& præsente sibi animo in medium expromat ,
quām si cum aliquo contubernali suo ageret :
recogitans secum , si anxia , & servili formi-
dine constringi sibi animum experiretur ;
eum , cuius præsentiam sic metuit , quantum-
cunque adventitia , & externa dignitate com-
mūnem supra modum emineat ; hominem
esse , ex eodem , quo ipse luto effictum , ni-
hiloque ac ipse minùs fragilem , imbecillum ,
mortalem , periculis peccandi obnoxium , æ-
ternæ salutis incertum , plurimarum rerum
indigentem , sexcentis casibus , atque æruinis
expositum , & si cum D E O componatur ,
quovis despectiorem vermiculo : neque ta-
lem

lem & ita observandum, ut peculiaris veneratio, quæ illi cæteroquin debetur, interiorem nostri animi tranquillitatem, & cum Deo conjunctionem perturbet. Ad hujus verò libertatis consuetudinem sibi parandam utili in primis ei fuerit, si minus sensibili personæ alicujus reverentia se affici naturaliter sentiens, illius congressum non refugiat; sed amet potius, & querat; talis siquidem timoris natura est, ut non tam declinatione, quam agressione objectorum terribilium vincatur. Imò inter hæc, cùmque his ultro, & frequenter versari unica est vincendi, ac penitus profligandi illius ratio: cùm rerum formidatarum fuga timoris quidem sensum in præsens auferat, intimam verò vim, habitumque, & quasi radicem potius corroboret.

9. Tertiū, ut, cùm habenda brevi concio, vel publicum aliud specimen dandum erit, nulla, quoad ejus fieri potest, theatri, in quod proditurus est, & imminentis actūs trepida solicitudine inquietari se sinat: nec deinde, cùm actu illo jam fungitur; ordinariam interioris suī statūs æquitatem, & constantiam ullo pacto immutet, aut inuinat; sed in totius circumfusi, séque unum intuentis populi medio, tam illo superior, & potens

H

sui

sui perstet, quām si ad confertam rusticorum multitudinem, vel solius exercitationis gratiā, in vacuo peroraret deserto. Utpote qui DEUM ubique præsentem sibi habens, nunquam nisi unā cum eo homines spectat, nē proinde tanquam alios, quām quales apparere coram eo possunt, formicis nimirum, aut vermiculis similes.

10. Quartum, ut in agendo pacata, & hilari cum simplicitate se gerat, uni tantum sibi, ac DEO attendens, nihilque interim curæ habens, quidnam cogitaturi, vel dicturi de se homines sint. neque ullis dissimulatiōnibus, & responsis ambiguis ad suas res obiegendas utatur, aut quidquam furtivè, & clandestinè agat, metuens ab aliis videri: aut alter solus, aliterque coram arbitris agat, & superveniente aliquo gravi, præsertim viro, ullam rem, quam prius faciebat, prosequi omittat: esto res minùs decora in speciem sit, quīque faciendæ illius causas ignorant, facile moveri ad eum improbandum, & pristinam de illius virtute opinionem minuendam possint: sed perinde illi sit publicè, ac secretò operari, quemadmodum perinde est in hac, atque illa æstimatione apud homines esse. Imò, si ingenii plus nimiò suspiciosi, ac timidi

di foret (quales nonnullos videre est , qui
actiones etiam ordinarias post sifarium , &
ubi nullius oculos testes habeant , exequi a-
mant , neque ullam rerum suarum emanare
ad aliorum notitiam vellent) si ita , inquam ,
factus naturâ esset , optimum factu erit , ut
ad pravam hanc timiditatem corrigendam
contraria prorsus ratione , quidquid rerum
agit , curet in propatulo agere , & præsertim
coram iis , quorum oculos specialius veretur ;
exceptis tamen actionibus , quæ vel more , in-
stitutóque communi secretum requirunt , nec
decenter obiri , nisi coram personis admo-
dum familiaribus queunt , vel pusillis , & ju-
stas earum causas ignorantibus offensionem
crearent . At utrisque in circumstantiis , &
coram personis prædictis supersedendum
servo DEI erit , non quidem ex naturali pro-
priæ suæ æstimationis , sed ex superiori alienæ
utilitatis , & legitimi , ac solemnis decori re-
spectu . Imò , si actiones tales nequaquam
necessariæ essent , sed ad majorem solummo-
do aliquam commoditatem spectarent , au-
thor ipsi essem , ut ab iis penitus abstineret :
ut nimirum hoc pacto consuesceret , non ali-
ter , quoad fieri potest , solus , quàm inter ho-
mines vivere , minúsque de horum præsentia

H 2

co-

cogitare , utpote in qua nihil vitandum est,
quod vitare etiam extra ipsam non soleat.

II. Sed rogabit hic quispiam : quid , si
aliquis solitus in secreto vitiōsē operari , pu-
ta intemperanter comedere , coram aliis ab
illa intemperantia abstineat , vel certum mor-
tificationis , aut charitatis actum , ad quem
minimē per se ipsum propendet , quia tamen
à pierisque suorum contubernialium exerceri
videt , ipse quoque unā cum iisdem exerceat ;
num dicendus is est operari serviliter , & ad-
versus Christianæ libertatis , ac simplicitatis
rationem hic propositam ? Respondeo , quod
ad primum ex prædictis casibus pertinet , cul-
pam omnem , ceu secretò , sic publicè caven-
dam prorsus homini esse : eūmque , qui se-
cretò patrare illam solitus , ab ea publicè ab-
stinet , fieri non posse , ut ratione hujus absi-
nentiæ perperam , contraque ullam virtutem
agat ; sed fieri solummodo id posse ratione
causæ , à qua impellitur , si hæc alicui virtuti
adversetur . Jam verò dupliciter impelli-
quis potest , ad cavendas coram aliis secre-
tioris vitæ suæ culpas : primò , quia videt , il-
las sibi probro , & dedecori , si palam com-
mitantur , futuras , ac propterea ex ignomi-
niæ hujus metu , pristinam cæteroqui pravita-
tis

tis suæ voluntatem retinens, ab ea in propatu-
lo abstinet, hac ratione impelli, Pharisäicum
procul dubio est, animique libertati, & Chri-
stianæ simplicitati contrarium. Secundò ad
idem moveri quis potest, quatenus metu de-
decoris, quo consuetum suum facinus puni-
endum esse videt, nativam illius turpitudi-
nem sensibilius agnoscit, reisque ideo tam
probrosæ abominationem, & pudorem con-
cipiens, eam cavere prout talem, & quidem
non ibi tantum, sed ubique (quia ubique ta-
lem futuram) decernit. Qui, licet ex alio-
rum præsentia vitiosi sui moris corrigendi
occasione sumat; cum tamen non ultrà il-
lum amet; sed deformitatis suæ causâ oderit;
à nemine argui mentis parvum sinceræ, & ser-
viliter obnoxii aliorum judiciis animi potest.
Nec dissimilis est ad alterum casum respon-
sio: vel enim quispiam inducitur ad facien-
dam unà cum aliis rem honestam, quam cæ-
teroqui sua sponte, & solus non faceret, quia
timet, nè illam omittens appareat, qualis re-
vera est, minus aliis ad virtutis exercitia pro-
pensus, excusari à simulatione, & hypocrisi
nequit; vel ideo potius inducitur, quia in ex-
empli alieni luce honestatem rei clarius per-
spicit, satisque hoc unum illi est, ut eam ve-

lit, atque agendam suscipiat; & ita operari nihil habet simplicitati laudatæ contrarium: utpote quæ id solum præcipit, nè quid à nobis omittatur, aut fiat ex eorum timore, quæ alioquin de nobis sentire, & loqui possent, sed in quavis re volenda, aut nolenda meram DEI unius approbationem spectemus.

12. Supereft tantummodo, ut ex occasione hujus posterioris casūs studeamus DEI famulum à servitute immunem tueri, in quam possent illum conjicere non judicia duntaxat, sed recta etiam aliorum exempla: rationem aliquam statuendo, qua uti possit, cùm ab uno vel pluribus, vel plerisque suorum sodalium extraordinarium quodpiam exerceri videt opus virtutis: incertusque animi habret, num convenientius sibi sit eos imitari: cùm ex una parte se impelli ad id sentiat, ex altera verò formidet, nè interiores illi impulsus ab æmulatione potius, vel humano alio respectu, quam à puro DEI amore proveniant: præsertim quando ab aliquo prædictorum sodalium ad ejusdem exercitationis consortium nominatim, disertéque invitatur. Ut igitur quam certissimum memorata inter dubia, recti, & prudentis consilii calam insistat, notanda sunt discrimina impul-

su.

suum, quibus hinc divinus, humanisque inde spiritus ad alienæ imitationem virtutis urgere animos solent, & præsertim hæc quatuor. Primum, quod impulsus divini, quamvis per alieni operis occasionem animo immittantur, à peculiari tamen ejus authore avocare mentem hominis solent: efficiendo, ut solam operis per se ipsum sumpti honestatem consideret, ab eaque sola moveatur, tanquam si nullum aliunde illius præcessisset exemplum: ac proinde, dum eam postmodo simili opere exprimit, dici verius potest agere, quod alter recte egit, quam alterum recte agendo imitari. Secundum, quod iidem nulla animum inquietudine, & anxietate perturbent, neque cor violenter restringant, sed leniter potius dilatant. Tertium, quod suavi quadam efficacitate incitare voluntatem soleant ad opus non modò decernendum, verum etiam amandum, sinè ulla hæsitationis, displicentiaque, aut alterius contrarii effectus mistura: adeò ut animus, ut libenter iis obsequitur: sic gaudeat de alieno exemplo, quod occasionem iis præbuit. Quartum, quod urgeant ad facienda, quæ ab aliis laudabiliter fiunt, non tamen protinus, & simul cum eis, sed indifferenter, liberèque, vel

tunc , & mox , vel opportuniori alio tempore , & loco : neque ad eadem omnino facienda opera , quæ ab aliis cernuntur fieri , sed vel ad illa , vel ad alia , æqualis in eodem genere meriti , ac pretii , quamvis secundum speciem diversa . Cùm è contrario impulsus ab humano spiritu immissi , totam mentem in prævio aliorum opere , atque exemplo defigant , ab eoque , prout alienum potius , quam prout honestum est , stimulandi vim capiant : neque ferè unquam sinè inquietudine , & perturbatione animi esse consueverint , & si eorum vi ad imitationem boni operis homo inducitur , non tamen illud vult gaudens , atque alacer , sed quasi coactus , ægréque ferens , & penè irascens , quòd alter strenuè coram se agendo , odiosam sibi imposuerit necessitatem , sive illius imitandi virtutem , sive illi se imparem virtute exhibendi : neque ullam deum circa locum , tempus , ac speciem imitationis libertatem relinquant , sed ad idem omnino opus , & eodem prorsus tempore , & loco , quo ab aliis fit , faciendum præcisa vi urgeant . Ex quorum discriminum observatione si perspiciat , utriusnam generis interior instinctus sit , & si verè divinum esse illum cernet , hoc est liberum , tranquillum , suavem ,

vem , dubitari minimè potest , quin congruentius rationi acturus sit , illi obsequendo . Sin autem contrarias spiritus humani qualitates , & notas in eo deprehendet , tunc author illi essem , ut turbulentam , & tyrannicam illius vim animosè repelleret , dicens intrà se : quamvis hoc opus excellentis meriti sit , & ego in aliis circumstantiis illud faciens , permagnam à DEO gratiam inirem ; ratione tamen habita inquietudinis , violentiæque , qua ad illud hic impelli me tentio , & cui nunc morem gerendo , subjectior in futurum evaderem , justissimas habeo causas credendi , gratius D E O me facturum , si in præsens eo supersedeam . Addo nihilominus , quemadmodum ad sartam tectam sui animi libertatem tuendam , prudenter missam tunc faciet alienæ imitationem virtutis , sic nè oblatam cumulandi amplioris meriti occasionem præterire vacuam sinat , sapientis consilii fore , ut deinde , postquam præsens animi agitatio resederit , illud idem , vel aliud in eodem genere æquivalens virtutis opus faciat privatim , & ubi nullum ex sociis illo priùs funetis testem habeat : hoc est ubi nullus sit turbulentis humani spiritus impulsibus locus . Atque hæc consultissima mihi quidem

videtur ratio, præclara aliorum exempla imitandi: imitandi illa scilicet vel in eadem, vel in alterius speciei diversæ materia: prout præsentes circumstantiæ opportunius factu esse persuaserint. Ratio sanè quavis alia expeditior, tutior, quietior, & secundum quam nullum est tam extraordinarium virtutis facinus, quod quilibet citra omne immoderationis, seu alterius vitii, & detrimenti periculum imitari nequeat.

13. Ultimum ex quinque suprà memoratis præsidiis, à quo & reliqua omnia majorē vim accipiunt, sed quod unum per se tantum foret, ad animum hominis ab omni penitus alienorum judiciorum servitute eximendum, fuerit, juxta Christianæ humilitatis instinctum, quam maximam apud quosvis homines, & quavis in re contemptum expertere, non secùs ac humanæ gloriæ amatores quam amplissimam sui existimationem ab omnibus, & in omni seu nobilitatis, seu dotum naturalium, seu doctrinæ, seu virtutis genere expetunt. Qui enim hoc præsidio uteatur, (neque ullus, qui velit totus DE Iesse, non uti illo debet) palam est, quam sui potens, & humanis respectibus superior futurus sit, quantaque cum securitate, & altitu-

di-

dine animi despecturus duo illa adeò formida in terris phantasma: quid de me dicetur? quid de me cogitabitur?

14. Duo adhuc restant animi mala, neque illa quidem seu parùm frequentia, seu leviter noxia, quorum nobis occasionem, & materiam conversatio inter homines suggerit: supervacanea nempe eorum rebus mentis attentio, vanaque, & intemperans cum eisdem locutio. Mala, dixi, nec parùm frequentia, nec leviter noxia. Si enim eorum infueamur frequentiam, quam paucos, non dicam in laxiore saeculi vita, sed in religiosis etiam claustris reperire est, adeò vel collectæ in DEUM mentis, quin haec saepe otiosis rerum alienarum cogitationibus ab eo distrahat, vel amantes silentii, quin multum quotidie temporis inaniter confabulando absument. Si porrò gravitatem libeat perpendere, nemo non facilè videt, quot profanis speciebus, & inordinatis affectibus curiosa rerum ad alios pertinentium consideratio animum replete, quamque eundem importunitas his turbis quietæ cum DEO conjunctioni inhabilem reddat. Et nemo item non experitur, quot culparum sibi occasionem otiosa cum hominibus sermocinatio suppeditet,

quan-

quantum valeat, ad refrigerandum in suo animo charitatis ardorem, & pios divinarum rerum sensus delendos: quantoque ab ea semper exeat deterior, minus nempe idonus ad spiritualis vitae exercitia, minus ab humanis respectibus liber, minus fortis contra rerum sensibilium illecebras, talis denique, ut profiteri de se queat illud Thomae Kempensis: *Quoties inter homines fui, minor homo redii.* (L. i. c. 20.)

15. Videndum ergo est, quonam pacto DEI servus commorari inter homines possit, ab ejusmodi malis innoxius. Et quantum ad supervacuum rerum alienarum curiositatem, ut eam penitus ab animo excludat, tria haec illi monita servare opus fuerit. Primum, ne unquam oculos vertat, visurus, quisnam hic, vel ille sit, & quid rerum interim agat. Secundum, ne ullius hominis facta, & eventus alieno ex relatu curet cognoscere. Tertium, ne tacita secum mente agitet, quid ullus hominum seu olim fecerit, seu nunc faciat, seu facturus in posterum videatur, quique casus sive illi hactenus contingent, seu possint deinceps contingere: nisi quando ex charitatis instinctu, & sui munieris ratione tale aliquid cognoscendum, illius-

que

que curam, & cogitationem suscipiendam putaret, vivens cæteroqui perinde, ac si nemo præter ipsum, & DEUM in mundo esset: vel tanquam si visu, auditu, memoria, sensuque omni aliarum à se, & DEO rerum careret. Sed præcipue ita cæcum, surdum, impotemque sentiendi se exhibens, quantum ad eos hominum actus, qui excitare in animo suo possent seu inanis gloriæ affectus, veluti honorifica de se, ac suis rebus eorum judicia, seu indignationem, & iram, prout illatæ ab iisdem sibi injuriæ, seu vanam rerum terrenarum æstimationem, quemadmodum aulica negotia, & ferventium inter magnos Reges bellorum eventus. Quæ objecta nihilo minus à sanctitate animæ DEO penitus sacræ abhorrentia ipsi debent videri, quam tribuli, urticæque à regalium hortorum elegantia, & amoenitate abhorreant; ut proinde, quemadmodum culturæ horum præfectus magno sibi verteret criminis, squalida, & exosa illa germina, non dicam ibi ultro conserere, sed & sponte enata, non illicet, atque è solo prodierint, extirpare; sic & ipse non levi dignissima pœna se existimet, si vel ad momentum temporis hærere in anima sua passus fuerit, ne dum studiosè ibi colligat hasce tam noxias, &

per-

perfectioni suæ repugnantes terrenarum rerum imagines.

16. Nec minori debet cura prospicere, ut à profanis, inutilibusque colloquiis lingua cohibeat: pro certissimo habens, nunquam se, quoad supervacuæ hominum consuetudini deditus fuerit, ad eximiam, intimamque plementum conjunctionem cum DEO. Vel enim in religioso aliquo cœtu, vel privatim in sæculo Christianæ perfectioni operam natat. Si in sæculo, hoc est *in medio nationis pravae, & perversæ*, ita vivere studeat, prout grassante pestilentia in locis eâ infectis vivendim os est, procul nempe à promiscuis hominum turbis: quod temporis à necessariis occupationibus superest, vel cum DEO, vel cum DEI famulis transfigens: at nunquam eum iis, qui fluxarum rerum admiratione, & cupidine occupati, uti totum in terris defossum cor habent, sic (quando etiam ab obscenis sermonibus abstinent) non nisi de terrenis divitiarum, atque honorum proventibus loqui novêre. Horum quippe, non aliter, quam pestifera lue laborantium, commercia vitare penitus debet: aut si aliquando id non liceat, saltèm prospicere, nè ullum ex pravis eorum dictis, sensibusque approbet,

bet, quin imò ut aliquam semper DEI, & rerum terrenarum mentionem vel profani argumenti sermonibus pro re nata intermisceat: quò nimirum ii potius cum profectu, & meliores indè abeant, quàm ipse cuī damno, & deterior.

17. Sin autem in religioso cœtu agit, ubi statâ aliqua diei horâ, putâ à prandio, atque cœna fratres in unum convenire, ad animos mutua sermocinatione relaxandos mos sit, quemadmodum publicæ consuetudinis reverentiâ, secedendum illi à consueto aliorum congressu non est, ità nè plus ex eo spiritualis detrimenti, quàm refectionis, & levaminis capiat, duo erunt diligenter servanda. Primum, ut toto illo tempore, quantum in se est, ac fieri potest, non nisi de rebus piis, ac spiritualibus colloquatur, vel saltèm ab his curet colloquium ordiri, utens ad hunc finem, præter alias industrias, aliquo loco sacra lectionis super mensam auditæ. Poterit tamen, si sermo aliquis festivior à sociis inchoëtur, illum excipere, suāmque in idem argumentum communis hilaritatis gratiâ symbolam addere: dummodo is sermo sit, qui religiosam conversationem non dedebeat: uti dedecet, si materia illius forent sive alio-

liorum vitia, seu cibi in mensa appositi, seu profanorum hominum curæ, & negotia. De his quippe, & aliis id genus materiis cavendum illi est, nè unquam sermone in vel inducat, vel ab aliis inductum pertexat: sed conetur potius opportuno illum, & molli flexu aliorum traducere; aut, si non successerit, tacitus, & vultu alia omnia cogitantis illi adsit. Alterum, quod curari ab eo convenit, est, ut non tantum materia, sed ratio item, atque forma colloquii ejusmodi sit, quæ sacram DEO hominem deceat. Id assequetur, si vitia, quibus inquinari solet, procul ab eo habeat; qualia præsertim hæc sunt: primò pervicacitas, nimiùsque ardor in suo sensu contra alienum tuendo: secundò major justo indulgentia, & facilitas in approbando, quidquid alii dicunt, quamvis falsi, vel alterius pravitatis causâ corrigi dignum. Tertiò sinceritatis defectus, in rerum veritate seu immodicis amplificationibus adulteranda, seu fucosis amphiboliis obtegenda. Quartò inanis gloriæ studium in commemorandis, quæ ad æstimationem, & laudem suam faciunt. Quintò charitatis læsio per verba, quæ vel arrogantiam, & contemptum aliorum præferant, vel iracundè, cùmque ani-

animo eum, qui mordaci dicto se appetierit, remordendi, promantur, vel absentes risui exponant, recte facta elevent, mores perstringant, vel alia demum sint, qualia nemino sibi, & de se dici ab aliis gauderet.

18. Atque hos intrà statæ conversationis fines, religiosi hominis sermonem contineri, arctarique par est: nam extra illius tempora per reliquum diem solitario illi, & taciturno esse convenit. Solitario dixi: quò pertinet primò, ut extra cœnobium præter necessitatem, vel justam aliam causam nè prodeat: secùs ac permultis mos est, qui ex mero claustrí, ac solitudinis tædio, quódque tempus transigere utiliter nesciant, nullo non die circumire urbem cernuntur. Secundò, ut, quando in publicum exire cogitur, vitet loca populi concursu strepentia, viásque eligit, quantum potest, minimè tritas, & celebres: neque oculis licentiam quaquaversus discurrendi permittat, sed tum eos, tum reliquum omne corpus intrà religiosæ moderationis leges contineat, more hominis, qui, quocunque eat, nunquam è præsentia DEI egreditur. Tertiò, nè in ipsa domo hac illac vagetur, sed in cellula sua velut in quietis nido libens consistat, nunquam, nisi nec-

cessaria de causa indè prodiens , & tunc quoque tota in DEUM mente collectus . Addi- di convenire , ut perpetuum itèm silentium cum externis juxta , ac domesticis servet . Cum domesticis quidem , non adeundo eorum cu- bicula : ad bonas ibi horas inutili garritu per- dendas ; neque consistendo , ubi aliquem ex iis obvium domi habet , ut otiosè cum eo fa- buletur ; cum externis verò nunquam oble- standi sui animi studio , sed vel urgentis dun- taxat negotii transigendi , vel spirituale emo- lumentum iis afferendi causâ eorum con- suetudinem quærens : neque , dum ab iisdem officiosè convenitur , profana cum iis miscens colloquia , sed de rebus ad æternam salutem spectantibus disputans : idque tam libere , & confidenter , ut ii intelligent , hanc vernacu- lam , propriamque esse ipsius linguam : atque ità vel pia monita excipientes , aliquid indè utilitatis domum referant , vel si sacram id genus conversationem , tanquam nimis au- steram fastidiunt , eant aliò jucundiores quæ- situm , neque jam ulterius revertantur ad in- terpellandam illius cum D E O consuetudi- nem , & ad tempus , quod in sua ipse cella u- tiliter expendisset , infructuosis , & meri offi- ciī visitationibus suffurandum .

C A-

C A P U T V.

De secundo impedimenti ge-
nere, quod occupationes exter-
næ afferunt.

Occupationum externarum nomi-
ne eas hīc omnes accipio , quæ
ad hominis spiritualem profe-
ctum per se ipsas , & suāpte na-
turā non attinent , sive illæ corpus , ut labo-
res mechanici , sive mentem , ut liberalium
disciplinarum studia , exerceant . Neque præ-
ter causam inter perfectæ cum DEO conjun-
ctionis impedimenta illas recensui : cùm ex-
perientia palàm faciat , si sinè provida , & so-
lerti cautela suscipiantur ; non pauca ex iis ,
neque levia spiritualis profectūs detrimenta
homini existere , ac præsertim hæc quatuor .
Primum , quòd eas sæpe quasi præcipuum , &
vix non unicum vitæ suæ negotium ample-
ctens , minimum temporis orationi , piæ le-
ctioni , & aliis id genus quām maximè cæte-
roqui necessariis , perfectionis Christianæ ex-
ercitiis reservet . Secundum , quòd totam
iis mentem immergens , vix unquam inter il-
las DEI meminit : unde charitatis tempor con-

I 2

se

sequitur, & difficultas ad intimam consuetudinem ex tam longo intervallo redeundi. **Tertium**, quod earum labori, absque debita moderatione, hoc est justo longius, nimioque cum conatu se impendens, & vix sibi ullum præ immoda festinatione vel respirandi libertatem indulgens, cum deinde transiundum ad orationem est; usque adeò se debilitatum, exhaustumque viribus sentit, ut requiem potius sumere à præteriti operis fatigatione indigeat, quam novo operi aggrediendo, & rite obeundo par sit. **Quartum**, quod nimia item cum aviditate felicem earum exitum appetens fieri non potest, quin de eodem saepe anxius, & solicitus sit, quin perturbetur, ubi adversus forte obex illum retardat, dubiumque, & ancipitem reddit, ut ea libertate, & quiete animi careat, quæ adeò cæteroqui ad perfectam cum DEO conjunctionem necessaria homini est. Explicatis igitur vitiis, quæ in prædictarum occupationum usu consueverunt existere, damnisque spiritualibus, quæ indè oriuntur, explicandum superest, quoniam pacto eorum unumquodque vitari possit, ac debeat. Idque ipsum jam præstare aggredimur, initium suumentes à parum aqua diei partitione, quem plu-

plurimi penè totum in terrenis administran-
dis negotiis expendunt, vix minima illius par-
te ei negotio curando se posita, cuius cætero-
qui causâ se in lucem productos noverunt, &
cui propterea tanquam summi inter reliqua
omnia momenti, imò uni ex omnibus necef-
sario deberent, si non unicè, at præcipuè sal-
tēm vacare, divino nimirum famulatui, & suo
spirituali profectui.

2. Ubi tamen advertendum puto, præ-
dictam divisionem temporis, etiamsi per se
ipsam iniqua videatur, & rectæ rationi con-
traria, non esse revera talem, nisi cùm spon-
te instituitur; ubi nempe aliquis, licet ple-
num sui temporis dominatum obtineat, ex-
tráque omnem tum necessitatem, tum obli-
gationem sit, illius in profanis potius expen-
dendi, quām in occupationibus sacrīs, ultro
tamen illud in iis potius, quām in his expen-
dere eligit, ceu plerique mechanicorum, qui,
ut diurnum sibi victum comparent, necesse
habent, à primo diluculo usque ad vesperam
opificiis, & laboribus suis insudare; vel ra-
tione sui munera, quemadmodum multi ex
judicibus, advocatis, & aliis civilium rerum
administris, qui vix quidquam temporis verè
proprii, & ab aliorum causis expediendis li-

beri habent; vel legitimorum Præsidum ius-
su, ut cùm religiosus vir totum penè diem
moderatore suo detinetur in ministeriis, &
curis, ad externos cœnobii usus spectanti-
bus: ubi, inquam, se ità res habet, perspicu-
um cuique est, voluntatis divinæ esse, ac pro-
inde æquitati consentaneum, ut qui ejusmodi
causis urgentur, ex earum præscripto diem
occupent. Duo igitur definienda hic mihi
restant: primum, quas inter occupationes
DEI amor postulet ab iis tempus traduci,
quibus est integrum, pro suo arbitratu illud
disponere; secundum, quibus industriis uti
debeant, qui totum penè tempus coguntur
profanis ministeriis impendere, ut hæc & spi-
rituali ritu exerceant, & aliis merè spiritua-
libus opportunè distinguant.

3. Quod ad primum attinet, dico, ab e-
jusmodi hominibus, si perfectè DEUM a-
mant, tempus omne, quo liberè uti possunt,
consecrandum DEO esse: adeò ut à terrenis
actibus feriati inter exercitia propriè ad Dei
obsequium pertinentia, nempe aut oratio-
nis, piæque lectionis, aut Christianæ erga pro-
ximos charitatis, totum diem transigant: pri-
mo tamen loco primitus nominata obeun-
tes, neque aliud assignantes posterioribus
teim-

tempus , nisi quod iis rite peractis supererit :
solum nempe illud tempus , quod reliquum
habent , postquam animum divinarum re-
rum meditatione satis expleverint , tamque
diu ei imorati sint , ut diutiū eam prorogare
ad mentem potius lassandam , quam ad cha-
ritatis fervorem augendum valeret . Hæc
itaque justa esse , & conveniens videtur men-
sura assignandi exercitiis interioribus tem-
poris , mensura videlicet ad plenam animi re-
fectionem sufficiens ; qui nulla obligatione
impulsus , sed sua tantum sponte minorem
hac diei partem iis tribuit , ut plus ex eodem
proximis adjuvandis impendat , parum se o-
stendit , duas hasce veritates percipere , nem-
pe , proximos ita esse adjuvandos , ut majori
tamen curæ homini sit propria , quam alio-
rum spiritualis utilitas : secundò , quantò quis-
que penitus divino Spiritu afflatur , tantò es-
se ad alias eodem afflandos magis idoneum :
ac proinde hominem impensè orationi dedi-
tum , unâ , alterave horâ plus spiritualis au-
xilii proximorum animis ferre , quam alte-
rum , minus talem , & si totos dies procuran-
dæ illorum saluti operam navet . Excipiun-
tur tamen quidam casus , ubi peculiaris ali-
cujus necessitas præsenti ope sublevari indi-
get ;

get; quo tempore verus DEI amor non patitur, deditum sibi hominem querere, quæ sua sunt, sed urget potius, ut necessario fratri subsidio spiritualis refectionis suæ curam posthabeat: confidens hanc à DEO, in cuius gratiam tunc abdicatur, compensatum sibi largius iri.

4. Quantum vero ad alios, qui minus liberi sunt, nego quemquam reperiri necessariis occupationibus tam arctè, & continenter circumfessum, ut nequeat, si vere spiritualis vir est, deque interiori profectu solitus, unam alteramve diebus singulis horam nancisci, quam à ceteris ministeriis vacuan, DEO uni, & quietæ cum eo consuetudini impendat; prout suis exemplis luculenter demonstrant, non dico Isidori, Proculi, Maximi, aliisque sanctissimi viri, quorum excellenti virtute abjectissima, & laboriosissima quæque opificia illustrata sunt, sed vel Cleianthes ethnicus sapiens, qui coactus à pauperie quotidianum sibi victimum mechanicis laboribus querere, tantum tamen hos inter ad liberalium artium studia invenire temporis potuit, quantum fuit sati, ut Philosophus celebris fieret. Quidnam igitur faciendum homini est, qui neque potest in propriis divi-

ni cultūs operibus totum diei tempus insume-
re , vellet tamen totum proprio servorum
DEI ritu transfigere ? En illi voto ejus oppor-
tunam , duobusque comprehensam capitibus
praxim . Debet primū certissimè sibi per-
suadere , suam illam profanis actibus vacandi
necessitatem non aliud , quām expressam vo-
luntatem DEI esse , neque aliā proinde , quām
implendæ hujus causā , illos actus vel auspi-
cari , vel prosequi ; debet secundò , præter
assiduum hunc in media eorum exercitatione
respectum , amorēmque voluntatis divinæ ,
justum aliquod diebus singulis reservare sibi
temporis spatium , quod terrenis negotiis , &
eorum cogitationibus valere interim jussis u-
ni D E O intentus traducat . Hæc duo , in-
quam , servanda illi sunt ; quæ si rite præsti-
terit , nullus dubitet , quin liberior , Deoque
conjunction in quantacunque externarū oc-
cupationum prolixitate victurus sit , quām in
summo ab his otio vivere negligentiores so-
leant . Sed caveat , quantum potest , (quod
capit , & summa rei est) nè inquieto animo
sit , eò quod non sinatur , nisi per exiguum
diei partem ex professo orationi vacare , né
ve tristis , & subirascens profana illa opera
exerceat , quibus à necessitate , vel obedien-

tia, hoc est ipsissima DEI voluntate cogitur fungi. Hujusmodi enim inquietudo, & tristitia majus ipsi detrimentum afferret, quam illa per se opera: quæ alioquin, si cum hilari, & prompta DEO obtemperandi voluntate ab ipso tractentur, ad intendendum potius, quam ad remittendum in animo charitatis fervorem facient.

5. Imò hac agendi ratione secundum quoque ex commemoratis suprà vitiis corrigetur, inordinata videlicet totius mentis demersio in opera externa, quamvis necessaria, vel justam ob causam suscepta; vitium ipsum quoque non leviter noxiū, utpote quod & toto ita operandi tempore præsentis DEI sensum ab anima excludit, & tum diutina intermissione, tum multiplici phantasmatum sensibilium interim collectorum varietate, perquam difficile homini reddit eundem postea in se ipso excitare. Quò igitur hæc illius damna prohibeantur, curandum est, ut juxta regulam modò præscriptam, attentio ad opus, quod fit, conjunctam semper habeat attentionem ad DEUM, cuius gratiâ illud fit, neque ullo temporis puncto illud velle animus perget; quin eodem simul perget cælestem illius causam, atque finem intueri, vel-

velle, & diligeré. Manifestum quippe est, si hoc pacto operemur, nullum fore opus externum, quod nostram cum D E O conjunctionem impedire vel ad momentum temporis queat. Excludo hinc duntaxat mentis exercitationes in Philosophiæ, Rheticæ, aliisque similibus studiis: utpote quæ, cùm tota hominis attentione egeant, eodem tempore hanc aliis quoque impertiri objectis non ferunt. Unde etiam consequitur, ut, quando amor divinus eas suscipi jubet; totam simul mentis attentionem in iis jubeat defigi, neque tunc de ipso DEO cogitari, nisi intercisiè tantummodo, pérque breves quosdam redeuntis in eum animi sensus; qui tamen sic identidem repetiti sufficiunt ad conservandam in animo, si minùs perpetuam cum eo conjunctionem, at facilitatem illius suo dein tempore, & loco instaurandæ.

6. Succedit hinc tertia pravè utendi externis occupationibus ratio, qua peccari tunc diximus, cùm quis nimio illarum se pondere onerat, sive unamquampiam longiori temporis spatio, quām vires patientur, continuans, seu tam multas simul complectens, ut vix omnes valeant intrà tempus iis præfixum, vel extraordinario cum conatu absolvi. Ex
qua

qua adversus se ipsum inclemens, atque, ut
sic loquar, tyrannide, simili illius, quam
Pharao exercuisse olim legitur in Hebreo-
rum populo immoderatis laboribus oppri-
mendo, sequitur, ut deficientibus sub imma-
ni illa sarcina viribus, seu corporis, si exter-
num sit opus, seu mentis, si interius, neque-
at homo ita exhaustus, & fatigens, seu
intentum eodem tempore animum in D E O
retinere, seu postmodum, nisi longa in-
terposita requie, ad statu orationis exercita-
tionem transire. Caveat itaque vir spiritua-
lis, & divinæ consuetudinis, ac præsentia
per totum diem retinendæ appetens, nimia
hujusmodi contentione se debilitare, & ine-
ptum fini suo reddere: neque cæca, & præ-
cipiti aviditate, conficiendi intrâ certum tem-
pus, quæ habet præ manibus, ultra modum
sibi instet, & novis usque stimulis ad festinan-
dum se urgeat: sed sibi, ac rerum gerenda-
rum potens, ita properet suscepta opera ab-
solvere, ut paratus simul sit, quam eorum
partem hodie exequi justo impenso conatu
nequiverit, in crastinum diem reservare: &
quando post diutinum in aliquo mentis stu-
dio exhaustum laborem, hanc ita defatiga-
tam sentiet; ut pergere ulterius finè extrema
lassi-

lassitudine non possit ; tempestivam ei requiem, ac cessationē indulget, quoad necessariū tum ad reliqua sua exercitia, tum præcipue ad divinas res commentandas recuperārit vigore. In summa , juxta Regii Vatis exemplum : *Fortitudinem suam ad DEUM custodiat :* (Ps. 58.) tanto conatu ad alia quæque agenda incumbens , ut sat semper habitudinis , viriūnque ad interius cum DEO commercium retineat: nam hoc demum præcipuum , imò unicum hominis negotium est , quām penitissimè fieri potest , summo illi bono adhærere ; & quidquid præterea negotiorum est , eatenus solum nostras sibi curas deponendi jus habent , quatenus illæ ad ultimum hominis finem conducunt ; tantum abest , ut hujus dispensio prosperi sint eorum successus quærendi : *Quid prodest homini , si mundum universum lucretur , animæ vero suæ detrimenium patiantur ?* (Mat. c. 16.) Certissimum est divinæ Veritatis oraculum,

7. At quid faciendum homini erit (subjacentem hic audire mihi aliquem videor) si vel munus , quod gerit , vel Præses , à quo gubernatur , nimia negotiorum , & occupatum mole illum oneret ? Respondeo , quantum ad munera , quæ geruntur , si eorum aliquod grave plū nimiò corporis infirmitati

ac-

accidat , ac proinde justam quoque cum Deo conjunctionem impedit , debere illud à viro spirituali missum fieri , ut aliud sibi congruentius suscipiat : aut si id nequeat , retineri quidem illius professionem , sed exercitationem intrà eum modum contrahi , cui ipse sustinendo par sit : adeò ut , si advocatus exempli causa est , non plures suscipiat causas , quàm quot sinè DEI oblivione , & spiritualium rationum neglectu expediri ab eo possunt : si Medicus , non plurimum ægrorum curationem suscipiat , quàm justa , & prudens patiatur sui cura: si mechanicam artem profiteatur , nè gravioribus , quàm ferre humerivaleant , laborum pensis se oneret , quamvis diminuto horum pondere quæstus itidem pari modo decresceret : neque enim homo propter lucrum , sed lucrum est propter hominem . Quantum verò ad religiosorum Præsidum jussa , respondeo , longissimè ab horum consuetudine abesse , ut subjectos supra corporis , aut animi vires gravari imperiis suis velint : ac proinde , quoties aliquod munus injungunt , cum tacita , & universali hac conditione illud semper injungere , ut administretur , quantum citra valetudinis noxam , & spirituale detrimentum fas est : sedulò ni-

mi-

mirum , & diligenter , sed cum diligentia , &
sedulitate prudenti , moderata , quieta , quæ-
que religiosum hominem deceat , nec ad ex-
ternam operis perfectionem augendam , in-
teriorum operantis perfectionem imminuat .
Quapropter , si duo mihi demandarentur à
meis moderatoribus munera , utrumlibet non
ignavo homini occupando per se solum suffi-
ciens , putà Philosophiæ in celebri Academia
prælegendæ , & sacræ simul concionis festa
quavis luce coram populo habendæ ; non ità
his fungi debereim , tanquam si moderatorum
ea demandantium mens fuerit , ut pro digni-
tate utrumque administraturus , ipso etiam
consuetæ orationis tempore iis vacem ; seu
potiorem noctis partem necessariæ quietis
immemor , commentando , scribendóque
traducam , seu perpetua de iis exactius obe-
undis anxietate conficiar : sed tanquam si vo-
luerint prædicta mea munera , quàm diligen-
tissimè possem , legitimis aliis quà religiosæ ,
quà humanæ vitæ officiis non neglectis cu-
rare : quamvis eadem omne illis solis tem-
pus , omniémque mei animi attentionem im-
pendendo , absolutius , & pleniori cum pu-
blica approbatione exequerer . Id tamen in-
telligi oportet de ordinario , communique

vi-

vitæ usū , & ubi neque operis injuncti perfec-
tio sīnē extremō operantis conatu obtineri;
neque hic depromi sīnē gravi ejusdem in-
commodo potest. Nam cæteroqui , si extra-
ordinaria unius , vel paucorum dierum ne-
cessitas urget , neque enixior diligentia , nisi
mediocrem aliquam seu corpori molestiam,
seu perturbationem animo affert ; quieti sux
penitū parcere , nihilque conari præter so-
litum velle , non justa moderatio , sed nimia
mollities animi esset , neque tam pium per-
petuæ cum D E O consuetudinis studium,
justo major proprii commodi , & spiritualis
dulcedinis , quæ ex illa consuetudine percipi-
tur , cura.

8. Superest , ut postremam in externis
rebus gerendis pravitatem studeamus corri-
gere , eorum pravitatem videlicet , qui ali-
quo occupati negotio , totum huic animum ,
omnesque affectus suos mancipant , volentes
qvois pacto felicem illius exitum consequi ,
nulloque non instrumentorum genere ad
hunc finem utentes : & usque adeò in eum
unum intenti , ut priusquam potiti illo sint ,
neque ullam quietem capere , neque de ulla
re alia cogitare noverint. Qui affectus à
perfecta cum DEO coniunctione , & sacri
ejus

ejus amoris puritate alienissimi , quemadmo-
dum indè oriuntur , quòd voluntas ad illud
negotii genus nequaquam ex mero divini pla-
citi studio , sed ab humano , & naturali alio
impellitur fine , seu delectationis , quam in
illo obeundo experitur , seu utilitatis , aut
gloriæ , quam ex eo sibi proventuram sperat ;
sic neque non permanere in ea possunt , quo-
ad ejusmodi finis permanserit ; & hoc subla-
to , quasi germina , quorum radix amputata
est , pér se statim , atque omnino exarescent .
Hæc itaque efficacissima , & unica eos corri-
gendi ratio est , ut nihil operum suscipiamus ,
terreni cujusquam seu mali evitandi , seu bo-
ni acquirendi causâ : sed finis unicus omni-
um , quæ exterius agimus , sit pura puta Deo
in iis obsequendi , & gratificandi voluntas .
Ex hoc siquidem fine operantes , nullo fieri
modo poterit , quin rectissima , & divino a-
mori usquequa consentanea ratione ope-
reinur .

9. Ostendamus id ad majorem rei evi-
dentiam in peculiari aliquo exemplo : veluti
in cura , quam adhiberem ad necessarium vi-
ctum , vel morbi alicujus remedium quæren-
dum . Enimvero nulli esse dubium potest ,
quin , si meus finis valetudo , & vitæ conser-

K

va-

vato sit, minimè integrum mihi erit, voluntatem ità in quodam quasi æquilibrio suspen-
sam retinere, ut æquè paratus sim seu xgrotare, seu valere, & vitam seu tueri, seu per-
dere; sed necessariò indè impellar ad valetu-
dinem potius, & vitam, quàm earum priva-
tionem volendam. Unde mox conseque-
tur solicitude de assecutione prædictorum
bonorum, & cura omnibus ea modis qua-
rendi, & perturbatio, si quid eorum acqui-
sitioni obsit; nec quantumcunque nitar hol-
ce affectus ab anima excludere unquam con-
tinget, quamdiu eundem finem respexero,
ut importuno eorum sensu non vellicer. At
si unicus mihi finis victum, & remedium
quærendi voluntas DEI fuerit; unicum quo-
que eadem objectum erit, in quod absolute,
& toto nisu mea feratur voluntas: circa illa
verò valetudinis, ac vitæ præsidia æqualiter
comparatus animo ero, sive ad eorum copi-
am, sive ad eorum defectum, prout me illis
vel potiri, vel carere DEO magis placuerit.
Ex qua porrò tum indifferenti æqualitate æ-
nimi erga illa, tum certa ejusdem adhæsione
ad unam voluntatem divinam sequetur, im-
possibile mihi omnino futurum, ea quærere
ullo industriæ, aut studii genere, quod divi-

nz voluntati aduersetur , cùm nihil aliud id foret , nisi operari aduersùs eum finem , à quo uno ad operandum impellor : & impossibile itèm futurum , sollicito , anxióque animo reputare , utrùm me illis potiri , an fraudari continget : cùm utrumlibet horum evenierit , non nisi ex DEI placito eventurum sit , quod unum absoluta , certaque voluntate , tanquam cæterorum omnium finis , à me amatur , & quæritur .

10. Non absimili ratione , si quis tragœdiam , vel historiam componendam suscipiat , ex delectationis illius fine , quo frui homo solet , in mentis suæ fœtibus concipiendis , formandisque , tum deinde , postquam absoluti suis omnibus numeris fuerint , in publicam lucem edendis ; perspicuum cuique est , non fore ei possibile , ab omni se erga suum opus propensione integrum servare , adeò ut pro eodem habeat , vel ad calcem posse illud perducere , vel casu aliquo interveniente , abruptum , atque infectum relinquere ; sed impulsu necessariò iri , ad liberam illius perficiendi facultatem volendam . Quare tum in eo primùm aggrediendo , tum quoties deinde ad illud prosequendum redibit , ea aviditate ad scriptionem incumbet , qua pa-

rasitorum edacissimus paratas super epulas se totum effundit: & quam plurimum temporis potest, in ea collocabit, non absque periculo, nè præ immodica urgenda illius cura, consueta pietatis exercitationes aliqua legitimi dem si sui parte intervertat: & si quando (quod scribentibus non raro evenit) in locum inciderit salebris impeditum, & unde nullam evadendi viam, quamvis multa conatus, atque expertus inveniat, tristis remanebit, & quietis nescius, donec aliqua illi appareat objectæ difficultatis superandæ ratio: assiduè locum illum infixum menti habens, nec retractare unquam desinens, etiam dum Ecclesiastici officii pensum persolvit, aut divinam rem facit. Cum altera ex parte, si eidem scriptioni operam daret, nihil aliud pro fine habens, quam moderatoribus suis obtemperare, à quibus eam aggredi est jussus; tantudem ipsis foret, circa eam occupari, quantum novo, diversoque jussu inde abduci: & tantudem paucos intrà menses supremam inchoato operi manum impnere, quantum ad plures idem annos obcrebra impedimenta producere, imò etiam, dum secundo cursu ad metam properat, missum penitus facere, neque ideo experiretur suum

stu-

studium , vel propter immoderatam labo-
rum contentionem , corporis valetudini no-
xiūm , vel nimiæ , assiduæque sollicitudinis
causâ , tranquillitatî animi , & vitæ spirituali
contrarium , sed quieto prorsus , liberóque
animo illud exerceceret : ut qui nihil proposi-
tum habet , nisi opus DEI nomine fibi injun-
ctum quâm optimè , intrâ tempus quod sup-
petit , pérque justam animi intensionem li-
cuerit , factitare . Similiter atque Paulus il-
le Abbas apud Cassianum , (L. 10. c. 24.)
cùm nequiret totum diem inter spiritualia
psallendi , orandique exercitia transfigere , a-
liquam ejus partem in storeis , aut fiscellis te-
xendis ponere consueverat : non quidem ut
victum sibi indè compararet , sed vitandi tan-
tummodo otii , & honestè se occupandi cau-
sâ . Unde etiam , cùm totum operatione sua
assecutus effet præfixum operibus finem , so-
lebat hæc deinde , quasi rem jam omnino su-
pervacuam comburere . Qui hujusmodi a-
nimo , & more operatur , nemo non videt ,
quâm nullo affectu devinctus exercitationi
sue sit : quantumque ab omni distet seu soli-
citudine de illius successu , seu tristitia , si for-
tè eam cogatur ante tempus præfinitum ab-
rumpere , sive illius cogitatione , atque cura ,
dum divinis rebus vacat .

II. Neque fors abs re erit, prædictis exemplis aliud simile adjungere, putà hominis religiosi, qui jubeatur se parare ad concionandum postridie in Pontificio facello, eo quòd ordinarius loci illius Ecclesiastes subita morbi vi prohibeatur suas partes obire. Fingamus jam ejusmodi hominem solitum esse, in suis actibus publicis decori specie plurimum affici, nec levi curæ tum suam, tum religiosi sui ordinis dignitatem habere; quoniam, rogo, in ipsius animo affectus improvisa denuntiatio excitabit? Non alios enim vero, nisi ut eâ auditâ perturbetur, nisi ut omnium excusationum genere novum munus amoliri à se studeat, nisi demum, ut, quanta maxima potest ingenii, & virium contentione ad præscriptum laborem incumbat, nullam toto illo die capiens quietem, sed trepidè, soliciteque sibi instans, & molestissimum anxietate secum exigens, num ea temporis brevitas concioni tam splendidæ, prout par est, adornandæ sufficiet. At non ita etiam, si in agendo nihil spectare, nisi unam DEI voluntatem, consueverit. Cùm enim scopus ejus sit, non ut ipse egregiam postridie concionem habeat, sed solummodo ut ad talem habendam diligenter se comparet:

quem-

quemadmodum non minùs in potestate sua est, ad celeberrimam quamvis concionem habendam, quām ad Christianam doctrinam explicandam sese diligenter parare; sic, quod jubeatur cras concionari in Pontificio sacello nihilo magis valebit, ad dubiam ei reddendam consecutionem sui finis, solicitisque curis animum illius perturbandum, quām si juberetur Christianæ institutionis elementa rudi vulgo explicare. Imò si post omnes industriæ conatus adhibitos, nequaquam ei succederet seu concionem parare illo dignam Auditore; seu quam paravit, memoriâ sic complecti, ut consenso cras suggestu ad singulas penè periodos non titubet, impingatque, & aliquamdiu cum oblivione luctatus, cogatur demum, mente penitus confusa obmutescere; non tamen hic externam juxta speciem tam improsper eventus contristandi illius vim habebit: sed erecto animo, & vultu prorsus sereno, multum sanè, inquiet, dedecoris ho- dierna mihi concio apud homines peperit; &, si auditorum æstimationem, atque plau- sus ex ea studuisse referre, fieri utique non posset, quin frustratum nunc tam turpiter meo fine me videns, gravi adinodum pertur- batione afficeret; at, cùm nihil in ea aliud

K 4

spe-

spectaverim , nisi efficere , quæ D E U S à me fieri volebat , cùmque nihil ille aliud voluerit , nisi ut me ad concionandum diligenter pararem ; quemadmodum hanc illius voluntatem implevi , sic lètari jure possum , quòd meum finem assicutus hìc plenissimè fuerim , neque minùs in hoc qualicunque concionis mèx eventu acquiescere ; quàm si amplissimos illa non theatri duntaxat , in quo est habita , sed & orbis terrarum universi plausus tulisset .

12. Molestus fortasse tibi , Lector , fuerim , eandem veritatem pluribus exemplis declarando ; sed da veniam : nimiè enim cura mihi erat efficere , ut quàm evidentissimè appareret , occupationes externas ea tantùm de causa posse animi libertatem minuere , & quietæ cum DEO conjunctioni impedimentum afferre ; quòd in iis alius finis , præter solam divinæ voluntatis executionem , spectetur . Hanc qui unam ibi intueretur , ac quereret , nihil posset , ut in allatis exemplis palam vidi , ab earum cura perturbationis , & incommodi accipere : sed in mediis terrenorum actuum tumultibus , non aliter quàm Ægæi , vel Atlantici maris scopulus , inter fremebundos tempestatum circum undique debacchan-

ti-

tium assultus duraret sibi constans , quietus , iminobilis. Tota igitur diligentia summa in eo posita est , ut ex pura hac DEO placendi voluntate suscipiantur quævis opera , & illa potissimum , quæ magis sunt obnoxia , ut ex humano , & naturali quopiam instinctu fi- ant : qualia in primis sunt , quæ vel ad vitæ conservationem necessariò requiruntur , vel cum innatis humanæ naturæ appetitibus con- gruunt , vel peculiari operantis genio arri- dent. Dixi , majus hic memorati vitii peri- culum , & majorem illud prohibendi neces- sitatem esse ; siquidem in triplici hoc actio- num genere frequentissimè usuvenit , ut na- tura proprio suo instinctu supernaturales di- vini amoris impulsus prævertat , & sola ad operandum nos moveat : quemadmodum sanctissimo Præfuli Martino experiri conti- git , cum è somno experrectus , animadver- tensque cubiculum , in quo quiescebat , suc- cesso fortè igni conflagrare , naturali quo- dam evadendi impetu ad januam accurrit , ne- que antea recordatus DEI est , quam cum hanc firmiter adeò obferatam invenit , ut nulla vi , atque arte recludi à se posset. Et li- cet viri spirituales post hunc , quo ad ejusmo- di actiones moti primò sunt , naturalem in-

stinctum , alia quām primūm altiori , & di-
vina ratione incitare ad easdem se soleant , ni-
sī tamen eum , quem diximus , naturæ insin-
ctum diserta , & formalī retractatione fundi-
tus ab anima ejecerint , perget ille simul cum
nova supernaturali ratione nihilo minus ,
quām antea , voluntatem impelliere. Unde
evenit , ut si fortè in operandi progressu De-
us , & ratio ab eo sumpta ē memoria dilaba-
tur , neque ex illius respectu , atque impulsu
homo operetur , naturalis propensio , uti so-
la tunc in animo remanet , sic sola in præsen-
ti actu illum moveat omnia illa in ipso pro-
ducens supervacuarum cogitationum , inani-
um solitudinum , & pravorum id genus af-
fectuum vitia , quæ superiùs nasci ex ea vidi-
mus. Imò , quamvis inter operandi pri-
mordia perpetuum ejus impulsibus indixisse-
mus ab anima exilium , nec aliā , quām divi-
ni amoris causā aggressi opus essemus ; si ta-
men , dum deinde illud persequimur , Deus
(quod utinam minus sæpe contingeret) de-
finat præfens menti nostræ esse , suōque illam
cælesti amore incitare ; naturales ii impulsus
continuò in vacuum venient , pristināmque
suam sedem postliminio recipient , & soli
jam in anima dominabuntur , soli nobis ope-
ran-

randi (hoc est minùs rectè operandi) erunt causa.

13. Quò igitur in supradictis operatio-nibus nihil loci naturæ , illiusque impulsibus sit; tria hæc circa eas provideri oportebit. Primum , ut , quamvis aliqua earum sit licita, imò etiam ad mortalis vitæ tutelam necessa-ria ; nunquam tamen ex naturæ instinctu eli-gatur , prout ethnici , & pessimi quique ho-minum eam solent eligere ; sed suspendatur ejus electio , quoadusque observaverimus , an DEUS illam à nobis suscipi velit : & ubi de hoc satis constiterit , profitendo hanc u-nam nobis esse eligendæ illius causam : & , si DEUS illam velle desineret , nos quoque ab ea destituros , etsi moriendum propterea es-set : utpote qui voluntatem habemus ex divi-na voluntate omnino suspensam , nihilque nos velle , nisi præeunte , & impellente illa possumus. Secundum , ut si naturalis affe-ctus prævertisset in nobis hanc animadversi-onem voluntatis divinæ , suo nos instinctu movendo ad rem aliquam ex genio jucun-dis , aut vitæ necessariis agendam ; nè differa-mus electionem hujusmodi , ceu subreptiti-am , minimèque legitimam revocare : pro-fitentes , ut suprà , ideo duntaxat eam à nobis

rem

rem agi, quia gratum id DEO esse intelligimus; quæ ratio si deesset, ex nulla alia induceremus animum, ad hanc actionem volendam. Tertium, ut hic ita expressus, & formalis divinæ voluntatis respectus tamdiu, quoad ejus fieri poterit, in anima perseveret, quamdiu externa operatio producitur: nempe ut ab ejusdem iunctio ad finem usque aliqua retineatur, saltèm confusa illius species: & si hæc tractu temporis evanescere incipiat, pristina illius expressio iteretur.

14. Felix enimvero, qui in externis quibusque occupationibus ita se geret, nullam habens aliam, cur vacet iis, causam, præter studium DEO gratificandi, & divinæ voluntatis implendæ. Nullum certè seu laboris mechanici, seu literarii studii, seu alterius negotii genus, ad interiorem illius libertatem, quietem, & conjunctionem cum DEO turbandam valebit. Omnibus quippe ab animo exclusis, & valere penitus jussis, quæ innatus sui amor sugerere posset, nihil aliud pro fine, atque fructu cuiuscunque operis, præter meram divinæ voluntatis in eo faciendo executionem proponet: juxta paratus, prout cælesti Domino magis libuerit, sive illud continuare, sive ab eo prorsus desistere,

eo-

etodémque loco seu prosperum, sed adver-
sum illius exitum habebit: neque magis de
eo sollicitus, quām si corporis exercendi, vel
fallendi otii causā, lapidum acervum ex hac
in illam partem transferret, & ex illa mox
rursus in hanc reportaret.

C A P U T VI.

De tertio impedimenti gene-
re, quod ex corporis invaletu-
dine oritur.

LAUCISSIMORUM meâ sententiâ, nec
mediocriter perfectorum ho-
minum est, usque adeò excelsi-
orem corpore, & quibuscumque
illius affectionibus animum gerere, ut nihil
discriminis inter commodam, & incommo-
dam valetudinem ponant, profiteriq; possint,
quod à Benjamo Monacho agrotante au-
ditum à se refert Palladius: *Hoc corpus neque*
cum bene se haberet, mihi quidquam profuit, ne-
que cum male, me læst. Quainvis enim gra-
viores morbi, & quorum vitâ corpus percel-
litur, ut ad operandi facultatem præmortu-
um, solo patiendi sensu prodat se vivere,
quam-

quamvis, inquam, hujus generis morbi con-
ducere potius, quam obesse profectui animæ
soleant, utpote cui & criminum auferunt, &
meritorum subministrant materiam; secùs
tamen in quibusdam aliis infirmitatibus acci-
dit, quæ diutina potius, quam violenta infe-
statione corpus urgentes, nativam ei quidem
operandi virtutem relinquunt, sed admo-
dum impeditam, debilēmque, & quodam-
modo mancam, nec sinè magno labore exer-
ceri habilem: cujusmodi sunt exempli gratiâ
tetri hyppocondriorum vapores, torsiones
stomachi, gravedines, dolores, & vertigines
capitis, reciprocandi spiritûs difficultates,
lentæ, ac familiares febriculæ, aliæque ha-
rum similes, uno à me omnes comprehensæ
in valetudinis genere, & nomine. Hæ siqui-
dem, prout experientia confirmat, nisi ani-
ma in crucis amore, in mortificationis studio,
inque orandi consuetudine multùm profce-
rit, non exigua suis intemperiis detrimenta
confueverunt afferre: & multifariam id qui-
dem. Primò, quatenus prohibent, nè at-
tentè, & cum ardore pietatis, in rerum divi-
narum commentatione, in sacro faciendo,
in horis Canonicas, aliisque quotidianis pre-
cibus recitandis se occupet: omnem retun-
den-

dentes alacritatem , vigorémque , ut piæ ejus-
modi exercitationes absque sensu , & gustu
obeantur , & quasi unius consuetudinis gra-
tiâ , vixque aliter , ac si minimè obirentur.
Secundò , quia difficillimum ei reddunt , sua-
viter , & assiduè inter externas diei occupati-
ones præsentem sibi DÆUM intueri , majo-
risque lassitudinis causâ , quam in earum tra-
ctatione experitur homo , adversa valetudi-
ne utens : qui proinde fieri non potest , quin
eas inter molestias augeri sibi sentiat laborem
suâpte cæteroqui naturâ non levem conti-
nendæ per diem totum mentis in objecto , ab
omni sensuum experientia tam remoto , quâm
est DEUS. Tertiò , ratione inquietudinis ,
& tristitiae , quâm in ipsa excitant , eò quòd
ineptam se videat ad complura opera hone-
sta , quibus olim fungebatur , neque sat habi-
lem , ut fungatur , nisi admodum imperfæctè ,
vel iis paucis , quæ illi vires permittunt. Quar-
tò , quia illam cogunt , peculiari diligentia
ad corporis curam incumbere , omittendo
magna ex parte voluntarias illius afflictio-
nes , adeò cæteroqui ad vitæ spiritualis pro-
fectum necessarias : imò contrà harum locò
blanda illi , & voluptuosa quærendo. Quin-
tò , quia impedientes , nè vivida consideratio-

ne

ne DEUM , ac bona cælestia , unicam scilicet lætitiae suæ materiam sibi repræsentet , in omnimodi mœroris statu eam relinquunt , tunc quām maximè interioribus destitutam solatiis , cùm ob exteriores molestias iis recreari quām maximè indiget .

2. Demonstrandum itaque est , quanam nos ratione uti oporteat , nè quid ex ulla corporis ægritudine capiamus detrimenti , sed inter omnes illius vicissitudines eundem semper conservemus perfectæ cum D E O conjunctionis tenorem , quod nunc demonstrare instituam , relegens singillatim capita modò dicta , unde corpus malè affectum impedimento esse consuevit spiritui ; sed ante particularem singulorum tractationem advertendum universè arbitror , illius impedimenta potissimum originem , ac vim ducere ex muliebri quadam nostri amoris erga corpus teneritudine : quæ in causa est , ut vel minimum quodque ejus incommodum magni æstimemus , altèque sentiamus , ut plurimum de illo cogitemus , ac solliciti simus . Quòd si Sanctorum ritu non alio ipsum in loco , atque pretio , quām vilis jumenti haberemus ; imò etiam denuntiato palam bello infectaremur , tanquam juratum animæ hostem , cu-

ran-

rant novis usque pœnis eum affligere, neque aliter de illius vexationibus, atque ærumnis, quam de lucris nostris gaudentes, parvam hæ aut nullam haberent vim, modesto suo sensu ad ipsa usque animi penetralia per vadendi, adeò ut illum perturbarent, dejicerentque, & minùs habilem propriis ministériis, atque actibus redderent: sed inter quasvis terrenæ partis nostræ alterationes operandi modum in superiori retineremus æquè tranquillum, ac vegetum. Nam & in profanis hominibus, militiam præsertim sectantibus, qui magis generoso, ac virili animo sunt, minimam cernuntur rationem sui corporis ducere: quibuscumque illud incommodis, & periculis securè objectantes, neque illum edentes perturbationis specimen, quamvis sæpe hostilibus telis immaniter lacerum, & saucium aspiciant: sed repetentes cum magnanimo Scævola: *Vile corpus iis esse, qui magnam gloriam querunt.* Ex Christianis verò bellatoribus scimus, plurimos gravioribus suppliciis solitos fuisse sua corpora afficere, quam ordinariæ illæ ægritudines soleant esse, de quibus hic loquimur; qui neque ob eximiam vitæ suæ sanctitatem, dici merito possunt, imprudenter se gessisse, neque

L

ap-

apparet , quonam pacto legitimos moderationis , ac prudentiae fines prætergressi non essent , si per voluntariam illam corporis debilitatem parum se idoneos ad strenue operandum , & continuè agendum cum DEO reddidissent : ut proinde existimandi sint circa imprudentiae notam severè adeò in se ipsis animadvertisse ; quia per heroicam quamdam , & corpus supergressam generositatem hujus infirmitas nequaquam attingere , & debilitare illorum animos poterat . Unde colligere ad extremum licet , quantò quoque nos altius per similem erectionem animi in DEUM supra corporis estimationem , amoremque assurrexerimus , tantò animadversus minus nativa illius mala , tantòque minorē his vim futuram , nos impediendinè , qua pars est , cum attentione , & instantia spiritualis vitae exercitiis fungamur .

3. Jam verò hoc præmisso universali remedio , per quod tota , unico quasi ictu , qui suam in radice mali labes succiditur ; trans eundum porrò ad ea est , quæ novi , & peculiariis auxiliis causâ aliis alia adhiberi illius partibus possunt . Et quantum ad remedium frigoris , languorisque in orando , non mihi animus est , à quoquam exigere , ut sacram

tram hanc exercitationem cum eadem inter
quaslibet corporis malè affecti molestias sem-
sibili perfectione obeat, qua illam obiret in-
tegra valetudine: cùm experientia palam fa-
ciat, in quibusdam circumstantiis, veluti ex-
empli gratiâ, quando caput experimur debi-
le, exhaustum, obtusum, vel alia ratione im-
peditum, fieri non posse, citra extraordina-
rium DEI munus, ut cùm ea, quæ nobis a-
lioquin cordi esset, mentis intensione, cogni-
tionum perspicacitate, & affectuum flagran-
tia orationi vacemus. Hoc unum requiro;
ut si homo plenam sibi integrâque operan-
di vim abesse tunc sentit, nè idcirco omni in-
dustria abdicata, totum sese ultro desidiæ, ac
torpori permittat: sed nitatur cum ea saltèm,
quam præsens sua sibi conditio reliquam fe-
cit, mentis sedulitate, atque instantia DEO
adstare: persuasum rite habens, si quod sua-
rum est virium, præstare non negligat, & cir-
ca ulteriorem perfectionis negatæ suis viribus
gradum, divinæ sese voluntati libens volens
subjiciat; inter ariditates, tenebras, habetu-
dines, stupiditatésque illius temporis propri-
as, nihilo se inminus, imò & plus forsitan à
DEO gratiæ initurum, quàm si nihil supe-
randum habens, ab initio orationis usque ad

L 2

exi-

exitum seraphico totus igne absumeretur,
cælestibus totus deliciis, lacrymisque difflu-
eret.

4. Ut verò partes suas quām exactissimè
impleat, minùsque à vitiosa corporis habitu-
dine detrimenti accipiat, non parùm ei pro-
derit, quæ hic subjungo, servare. Primum,
ut, antequam ullum è spiritualibus exerciti-
is, seu rerum cælestium commentationem,
seu conscientiæ examen, seu sacrosanctam li-
turgiam, seu Ecclesiasticarum precum reci-
tationem aggrediatur; paulisper recogitet,
quidnam faciendū suscipiat, decernens con-
tinuò, velle se illud quām perfectissimè exe-
qui. Quæ præparatio omnibus quidem ad
mentis attentionem, & sensum pietatis exci-
tandum utilissima est, sed illi, cui peculiaria
obstacula utrumque difficilior reddunt, etiam
necessaria. Secundum, ut, si orandi tem-
pore aliis cogitationibus, atque affectibus oc-
cupare animum nequit; saltèm his occupet,
quibus meliores nè in fervidissima quidem o-
ratione posset concipere: nempe ut animad-
vertat, quandoquidem necessarias ad oran-
dum perfectius vires sibi DEUS negat, argu-
menti certissimi locò esse, quòd perfectius
orari à se nolit: propriamque illico volun-
ta-

tatem divinæ subjiciens , profiteatur , contentum se esse , nulla perfectiori oratione uti , quām cujusmodi in præsens ex DEI nutrī sibi contingit , frigida , exucca , insipida , laboriosa , & crebris cogitationum aberrationibus intercisa . Tertium , ut oret in extero illo corporis situ , quem ad mentis attentionem majori adjumento sibi esse perspexit . Quamobrem , si hanc minūs se posse assequi orando de genibus experiretur , in pedes se attollat , orationēmque prosequatur , seu stans , seu sedens , sive in alio situ , ad suum finem magis accommodo . Quartum , ut in horis Canonicis , aliisque precibus recitandis , nè festinet , sacro illo penso quām citissimè defungi : sed placidè illud potius , verborūmque sensum degustando exequatur . Nam hæc agendi tranquillitas actionem externalam , & minūs laboriosam corpori , & suaviorem animo reddet : cùm è contrario anxia inter illam spiritūs , vocisque præcipitatio , non nisi ad intendendam lassitudinem corporis , animūmque majori tædio afficiendum valeret . Neque parūm sive ad diminutionem laboris conferet , si cum aliquo sociorum alternatim hunc dividat ; sive ad facilitatem attentionis , si pia verba non memo-

riter, sed ex libro, nec müssitando, sed voce elata, & sensibili pronuntiet. Quintum, ut eadem clara, & sensibili voce in discutienda quoque conscientia, & rebus divinis meditationis utatur: secum nempe, quasi cum altero quopiam, de iis omnibus differendo, quæ tacita mente ruminari solet. Et quantum ad meditationis materiam, ut eam magis facilem, suæque congruentiorem in valetudini habeat, poterit vel immorari circa quinos corporis sensus: observans primò, quinam rectus, & quis pravus singulorum sit usus; tum solerti examine indagans, quonam ipse pacto iisdem uti soleat; statuensque postremò, ea id ratione in posterum facere, quam esse omnium præstantissimam viderit: vel præcipua septem vitia percurrere, & quodvis primò advertere, quænam ex eo seges criminum pullulet; secundò ex ejusmodi fructibus, quæm fœda, exitialis, & detestanda illius sit conditio, æstimare; tertio perscrutari se ipsum, num quo forte pestis tam noxiæ contagio laboret. Quartò omnimodam in reliquū porrò tempus illius sibi fugam præscribere: vel denique alia quavis earum materialium uti, quas in decimo octavo secundæ partis capite pro similibus personis attulimus:

mus: nisi fortè virium imbecillitas, capitis stupor, naturæque oppressio ejusmodi foret, ut nè in rebus quidem tam planis, & obviis posset mente occupari. Tunc enim consul-tius videtur futurum, ut commentationem frugiferi alicujus libri lectione commutet, sed lectione quieta, sedata, & piis subinde affectibus interrupta.

5. Atque hæc dicta sint ad providendum, nè corporis ægritudines quotidianam certi temporis orationem suis molestiis impedi-ant: jam porrò, nè eadem continuam inter externos actus præsentis D E I memoriam obturbent, duo in primis usui fore videntur. Alterum, ut, qui adversa valetudine confli-ctatur, exteriores actus placide, moderatè-que, & sinè importuna festinatione obeat: quò nimirum pro eo, ut defatigetur corpus, & infirmitas superaddita lassitudine molestior reddatur, jucunda potius temporis occupa-tio, & delectabilis animi avocatio sint. Al-terum, ut, quoties in valetudinis suæ reini-niscitur, tristitiaque sensu experitum se affici, grave, & durum existimans, quòd tamdiu vexari ab ea pergit, quòdque illius inter pres-furas locò tempestivæ oblectationis cogatur præterea occupationibus laboriosis, & mo-

lestis operam dare ; quoties , inquam , tristes id genus querimonias suboriri in animo sentit , curet illico , quām maximē potest , vividum amoris erga DEUM , & sanctissimam ipsius voluntatem actum concipere : revocans in memoriam , non ab alio , quām ab ipso eam sibi suisse impositam crucem , déque illa proinde toto animo gaudens , & paratum ultro se ad eandem offerens , vel quamcunque graviorem aliam sibi ipse imposuerit , totius vitæ suæ spatio promptè , alacritérque gestandam . Et notetur sanè diligenter hæc praxis , qua vix ulla alia faciliorem potest hominibus , incommoda valetudine affectis , perpetuam cum D E O consuetudinem reddere . Quippe cùm per eam illud ipsum corporeæ ægritudinis tedium , quod cæteroqui perturbare , & abducere à DEO animum solet , in illius memoriam nos revocet , præsentemque , & continuam nobis suggerat exercendi erga ipsum amoris materiam .

6. Imò luculenter apparet , hanc eandem praxim per se unam valere , adversus tertium quoque spiritualis morbi genus , quod ex corpore malè affecto redundare in animū diximus , inquietudinem scilicet , suæq; fortis displicientiam , ab homine per id tem-

pus

pus cōcipi solitam , eò quod compluribus ministeriis, suo cæteroquin statui consentaneis, & ad DEI obsequium pertinentibus sese inhabilem videat. Ut ergo supradicta inter corporis intemperies nostræ voluntatis cum divina consensio , quām efficax est ad tranquillandum cuiuslibet utentis illâ animum ; tam facile à quolibet illius usu indigente exerceatur , duo hæc diligenter ab eo pensanda , & penitus insculpenda menti suæ erunt. Primum , solidam , propriamque Christianæ perfectionis substantiam , nequaquaquam in multis, atque egregiis operibus faciendis consistere , sed in eorum solummodo effectione , quæ ab unoquoque juxta præsentes circumstantias DEUS exigit : adeò ut , si quis talia exequatur , nihil ulterioris perfectionis desiderari in eo queat. Secundum , fieri non posse , ut DEUS ab ullo homine id velit , ad quod efficiendum necessarias ei denegat vires : & consequenter neque fieri posse , ut faciens , quidquid per vires suas ipsi licet , non faciat , quidquid DEUS ab eo effici vult , hoc est , quidquid ad plenam perfectionis summam requiritur. Qui enim duo hæc pro certis habet , planissimè intelliget , nihil causæ sibi adesse , cur iniquo animo ferat , à sua se præ-

senti invaletudine præpediri, nè multa in obsequium DEI faciat, quæ ab aliis effici videt; & à se sano, & valente olim siebant: sed justissimam altera ex parte causam se habere, cur libenter ex DEI manibus suam plura agendi impotentiam suscipiat, cælestique coram Domino profiteatur, eam se, quatenus ab ipso decreta, & volita est, plenissimo voluntatis assensu complecti, neque commutaturum, etiamsi in manu sua esset, cum omnimoda facultate operandi: utpote qui nihil omnino præter ea, quæ placita ipsi sunt, amet, ac velit. Ità Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Fiat, Domine, in me, de me, per me, circa me, & circa meas omnia sanctissima voluntas tua, in omnibus, & per omnia, nunc, & in æternum, Amen. Nè multa: inducere in animum debet, aliam esse sanctitatem florentis, & aliam afflictæ valetudinis propriam: illam extrinsecus apparentem, atque in operando strenuam; hanc interius latentein, & in patiendo tranquillam, dicens sibi met ipsi: eja, tempus præsens non tam multa, & præclara opera suscipiendi est, quam per assidue repetitos amoris actus in divina voluntate acquiescendi. Hæc perfectio illa est, quam præcipue DEUS nunc à me exigit: hæc ratio, qua in præsens

sens potissimum placere ipsi queā : hoc exer-
citationis genus, ad quod totis viribus , & pe-
culiari contentionē incumbendum est. Sed
mane cum primis expediet, talia sibi inculca-
re, quando consueta instaurans decreta, quā in
sanctissimē novum diem traducendi, hebeta-
ri forte horum vim , alacritatēque sentiret,
at temere effusa ordinariæ suæ invætudinis
metu , ceu quæ obstatura illorum effectui sit.
Repellere quantocuyus debebit vanos id ge-
nus terrores , pro certissimo statuens , quan-
tacunque sua præsens infirmitas sit , non pos-
se ab ea se impediri , quo minus summa cum
perfectione DEO serviat : quin imò si ejus
molestias hilari animo tulerit, eas ipsas par-
tem præcipuam suæ in divino famulatu per-
fectionis futuras. Unde roboratus animo ,
& majori erectus fiducia , paratum se Domi-
no offerat , ad easdem , imò & graviores ali-
as , quamdiu ipsi libuerit, nèdum sinè ullo re-
nisu, sed plenissimo etiam cum assensu volun-
tatis ferendas.

7. Quòd si non contentus sese hoc pa-
cto iis libenter submittere , quatenus volitæ ,
& decretæ à DEO sunt , progrederetur ulte-
rius , ad easdem , quatenus molestiam corpo-
ri afferunt , diligendas : singularis beneficij

lo-

locò illas habens , & cum gratiarum actione suscipiens , tanquam venerabiles quasdam sacrosanctæ crucis Christi reliquias , gustationesque calicis , quem ipsi pro nostra salute morituro æternus Pater propinavit : neque de re alia cum ipso expostularet , nisi quod nimis in exiguum suorum cruciatuum partem se admittat ; nec aliud quid enixiùs ab eo flagitaret , quām ut novis graviorum perpessiōnum iectibus magis perfectam , atque iconitam in suo corpore exsculpat sui in cruce pendentis effigiem : si ad hosce , inquam , progredetur heroicæ sanctitatis affectus , nam nullus tunc inquietudini superesset in illius animo locus : corporisque ægritudines , quantumcunque demum essent , nec ullam perturbandi illius vim haberent , sed in uberrimam potius ei verterentur lœtitiæ , gaudiique materiem .

8. Cæterū , si res probè æstimetur , multorum tristitia , eò quod per corporis infirmitatem prohibeantur , quæ vellent , & qua vellent , perfectione operari , plerumque non tam ex divinæ gloriæ respectu oritur , quam ex propriæ æstimationis cura , perficitantis idcirco apud homines minui : quatenus proclive factu est , ut , qui laudabilem ope-

operum , & hæc ipsa mediocri cum perfecti-
one ab iis fieri intuentur , nec cæteroqui oc-
cultam ità operantium imbecillitatem vident,
eos vel tanquam exiguis naturæ dotibus ad a-
gendum instructos , vel quasi plus nimio deli-
catos , & laborū impatiētes despiciant . Quæ
sui despicientia non potest non perturbare
hominem , magni pendere assuetum , quid-
nam de se homines sentiant ; præsertim quòd ,
cùm sibi valetudinario , & infirmo laboriosi-
us accidat , vel parùm operari , quām cæteris
perfectè valentibus plurimùn ; iniquo ani-
mo patiatur , se plus aliis sustinentem oneris ,
delicatum præ iis tamen , atque inertem cen-
seri . Quòd verò ægritudo animi de sua re-
ctè operandi impotentia ex prædicto sui con-
temptū respectu , ac timore oriatur , duo
cuivis lat perspicua argumenta esse possunt .
Primum videlicet , si ea vel minuatur , vel o-
mnino etiam deficiat , si nempe ii , inter quos
vivit , ostendant illius se in valetudinem anim-
advertere , mirarique animi robur , quo
ipse illam sustinet , non parcens sibi , sed quan-
tum interim affectæ vires sinunt , imò & plùs
penè , quām sinunt , laboret . Secundum , si
ægre ferens non multùm se posse operari ,
cùm occulta quapiam infirmitate prohibe-
tur ,

tur, tranquillo dein, imperturbatōque animo patitur, vel universalem cujuscunque operis vacationem, atque impotentiam, ubi febris prævalida, sive alius nemini non apparentis morbus sic penitus otiori illum cogitat nec proinde omnimoda hæc cessatio ignavia damnari in eo potest.

9. Quando igitur mintiendæ apud homines nostræ æstimationis timor inquietudinis, tristitiaque causa est, quam in præsenti materia experimur, illi potissimum adhibere nos remedia oportebit: sive per altitudinem animali, capite quarto expressam, nihili faciendo, quidquid de nobis secùs opinari homines possunt, ceu rem levissimam, merèque imaginariam, nec dignam, ut illa ejus ratio à genito, & prudenti viro ducatur, præsertim, ubi is DEUM suffragatorem causæ suæ habet, & profiteri potest: *Ecce in celo testis meus, & conscius meus in excelsis:* sive illum in nobis excitando perfectæ humilitatis spiritum, qui non modò timere nos vetat; sed optare etiam jubeat nostri apud alios contemptum: adeò ut locò mœroris, dum ab aliquo ceu minùs laboriosi despicimus, gaudendi id materiam faciamus, nostrānque hoc ipso fructu imbecillitatem solemur, quod si minùs opes

operamur , saltēm minori etiam in æstimatione apud homines simus . Quibus seu magnanimitatis , seu humilitatis sensibus curare debemus , ut exterior quoque nostra agendi ratio respondeat : gerentes nos nimis in omnī actu , & sermone , instar hominum , qui desiderant contemni , nullūmque edentes indicium occultarum ægritudinum , à quibus plus , & melius operari prohibemur : imò contra omni studio conantes eas tegere , juxta memorabile in hoc genere exemplum ab insigni DEI famulo Ludovico de Ponte postritati relictum : qui à pectoris oppressionibus , torminibus stomachi , articulorum doloribus , molestissimisque aliis valetudinis intemperii continenter afflictus , legem sibi statuerat , nè suos hos cruciatus , nisi obligatione quapiam adactus , ulli hominum proderet : usque adeò secreti tenax , ut præter alia specimina , quæ brevitatis causâ omitto , viginti , eoque amplius annis peracerbos hæmorrhidum dolores , nullo edito familiaribus signo , pertulerit . Imò , neque hoc latendi studio contentus , ubi quispiam de suis illum morbis ultro interrogaret , aliò deflectebat sermonem : quódque mirum dictu potius , quam communiter imitandum videtur , vel cum

me-

medico eadem dissimulatione usum legimus. noxio quippe humore in alterum ex oculis pertinaciter defluente, quamvis adverteret, videndi facultatem sibi paulatim deficere; fatius duxit, eam in totum orbari, & per reliquam omnem vitam illius oculi usum (prout re ipsa evenit) carere, quam suam invaleudinem Medico, tametsi de ea sciscitanti appearire.

10. Minus promptum factu est, certi aliquid remedii statuere contra quartum diserimen, in quod corporis ægritudines nos conjiciunt, deflectendi (quod non raro contingit) ab austerritate servorum DEI propria ad familiarem sectatoribus mundi mollitiem. Hinc enim justa, & prudens vivendi ratio fartam tectam custodiri valetudinem corporis jubet, quo integris illud viribus melius possit DEO famulari; indè verò nimius hominis erga se amor ea sèpe necessaria valetudinis præsidia esse fingit, quæ non nisi supervacua sensuum sunt blandimenta. Præterquam quod, si ordinariæ, de quibus hic loquimur, corporis ægritudines spiritualis detrimenti aliquid pariunt; non minus persæpe, imò & forsan plus noxia spiritui solent esse illarum remedia; cùm illæ non alio in-

te.

teriori detimento hominem afficiant, quām
quòd ad plūs, meliusque operandum inha-
bilem reddant: hæc autem & prolixiori cum
hominibus consuetudine à DEI cogitatione
illum avocent, & quotidiano refectionum
sensibus lenocinantium usū naturalem in eo
amorem corporis foveant, & solicitis restau-
randæ valetudinis curis animi quietem per-
turbent. Damna profecto, quæ simul sum-
pta, & suis rite momentis perpensa, gravius
videtur nos lædere, quām sola illa operan-
di imbecillitas, cuius tollendæ gratiâ subeun-
tur: ut proinde optabilius spirituali viro dici
queat, nec omnia, nec omni cum perfectio-
ne posse agere, quæ ad statum, & munus su-
um pertinent; sed interim cum majori & col-
lectione mentis in DEUM, & amoris proprii
compressione, & tranquillitate animi vive-
re: quām majoris aliquantò operationis stu-
dio, inquietas de corpore tuendo cogitatio-
nes assiduè versare, perduellis naturæ pro-
pensionibus indulgere, & factam uni DEO
mentem inter ultro quæfitas rerum sensibili-
um distractiones occupare.

II. Adde huc illustria complurium DEI
servorum exempla, qui ex mera patiendi cu-
piditate, & dulcedine nulla voluerunt, etsi

citra omne perfectionis detrimentum pos-
sent, remedia ægri corporis doloribus quæ-
rere: sed longè charissimas habuerunt ejus-
modi cruces, tantumque absuerunt à cura
minuendæ earum gravitatis, ut potius nimis
leves esse quererentur præ aliis, quas à DEO
flagitabant: novumque illis, & gravius inter-
dum, quam ipsæmet per se forent, volunta-
riorum cruciatuum onus adjecerint, dicen-
tes cum Apostolo: (2. ad Cor. 12.) *Placeo mi-
bi in infirmitatibus meis;* & cum sancto Job:
(c. 6.) *Quis det, ut veniat petitio mea,* & quod
expe^cto, tribuat mihi D E U S; & qui cœpit, ipse
me conterat: & hæc mihi sit consolatio, ut affli-
gens me dolore, non parcat. Qualis fuit (ut
aliquos è quam plurimis nominatim depro-
mam) dictus paulò antè Ludovicus de Pon-
te: qui si liberum sibi foret, nullis uti con-
tra suas ægritudines medicamentis solebat,
etiam quando nimia earum vi cogebatur le-
sto affixus hærere: neque alia de causa, quam
quod pati sinè ullo alienæ vel opis, vel com-
miserationis levamine optaret; cautus adeo
erat, ut memoratum suprà à me est, in per-
missionibus suis dissimulanter ferendis, & suo
in sinu occultandis. Quanquam parùm vi-
deri potest, quod nullum in suis morbis le-

va.

vainen quæsierit, qui ad eorum intendendam
sevitiem nullum elabi sinebat diem, quin
corpusculum suum, doloribus cæteroquin
undique oppressum, & vitali penè funditus
spiritu exhaustum, è lecto (meliùs dixisse
è funebri inchoatæ jam diu mortis feretro)
attollens, acri verberatione contunderet.
Qualis itèm Vincentius Caraffa, septimus So-
cietas nostræ Præpositus Generalis: qui, non
facilè explicari verbis potest, quàm ardenter
eupereret, recusam in suo corpore per imma-
nium vulnerum lineamenta intueri crucifixi
sui Domini effigiem: quámque exultaret, de-
largiter sibi collata Domini cruciatuum par-
te: omni studio devitans, quidquid minuere
illorum amaritudinem posset, beatásque, &
omni lucidiores die illas noctes appellans, in
quibus præ dolorum acerbitate nullam ocu-
lis delibare somni partem valuerat. Quare
etiam non nemini, qui eum videns aliquando
extremè languentem, & vultu tamen, ut cùm
maximè hilarem percontabatur, undenam
in tanta corporis imbecillitate tanta illi vul-
tus, animique hilaritas foret; hoc ipsum rei
esse causam respondit, quòd nempe in extra-
ordinario illo casu ità se affectum sentiret,
quomodo continenter toto vitæ suæ cursu

M 2

affi.

affici vellet. Et alias, dum ad nosocomium insanabilium iret, dicente socio, domum illum magnum volumen esse, in quo posset unusquisque DEI erga se clementiam legere: nam cur hi tot, tamque gravibus morbis oppressi sunt, & ego omnium immunis? magno protinus cum animi impetu, & ardore subjecit: imò cur mihi indultum non est optatissimum munus, ut dispersa per hos omnes mala unus sustineam? Qualem demum se exhibuit fidelis Christi famula, & nobile resflorescentis Carmeli german, Beatrix Ognesia, quæ ex D. Teresiæ relatu, (In Fundat. c. 16.) tantum aliquando ardorem concepit vivendi, & moriendi cruci affixa cum cælesti suo Sponto, ut coacta fuerit cum violento lacrymarū, dolorisque impetu super lectum procumbere, respondens sciscitantibus, quoniam malo angeretur? angi se, & nimium quam acriter, quod minus angorum pateretur, quam cuperet: ac proinde si contentam se vellent, suaque ab ægritudine recreatam videre, desiderati hujus boni copiam à DEO sibi impetrarent. Quod cum per atrocissimam morborum vim evenisset, nullum his solatum, ac lenimen quærebat: inurbanam plus nimio, & vecordem fore se dictans, si eos cruciatu-

tus imminutum iret, quos immortalis sibi
Sponsus, tanquam peculiare sui amoris mo-
numentum misisset. Quin etiam, cum à do-
loribus solito vehementius urgeretur, pro-
fitentem audiebant sorores, nihil triste se pa-
ti, nec præsentem suum statum cum earum
ulla, quæ optimè valerent, commutaturam.

12. Quidnam ergo inter opposita diver-
sarum rationum momenta statuemus, ita u-
trinque temperatum, ut neque à prudentia,
tanquam justo severius, neque à mortificati-
one, tanquam nimis molle improbetur. Mi-
hi quidem duplex distinguendum hic esse spi-
ritualium hominum genus videtur. Primum
eorum, qui extraordinariæ virtutis præstan-
tiâ adeo supra corpus eminent, ut illius quaſ-
cunque affectiones vix animadvertant, nec
minimum in operando ab iis pendeant. Et
his quidem permiserim, imò etiam suaferim,
ut de suis stomachi, capitis, aliisque ordina-
riis infirmitatibus gaudeant, eaque pera-
manter complectantur, neque ullo solatii,
vel remedii genere allevent, nisi quando ul-
tra morem excrescent, inque gravem, nec
facilè sanabilem morbum viderentur desitu-
ræ; alterum ex hominibus constans, ordina-
ria, & mediocri virtute præditis, quique

corpus ita student castigare , & in servitutem redigere , ut propterea non sint superiores omnino naturalibus illius molestiis , atque infestationibus. Et hos rectè , ac fortasse etiam rectius facturos censuerim , si id genus molestiis vexati , opportuna iis remedia , & levamina adhibeant : sequentibus tamen regulis (nè plus spiritualis detrimenti à remediis , quām à morbo ipso accipient) diligenter servatis. Primò , ut disertè coram DEO profiteantur , nequaquam se id facere ullius naturalis oblectamenti gratiâ ; sed ideo duntur , ut aptiores ad operandum pro gloria ipsius sint. Secundò , ut nunquam remediis utantur , nisi usquequaque honestis , & quorum usus nulli necessiarum virtutum , putat charitati , aut obedientiæ repugnet. Tertiò , ut in horum delectu illa cæteris præferant , unde nihil , aut minus timeri spiritualis dispendii , & periculi potest : qualia ferè sunt , quæ ad corpus solummodo attinent , ceu somnus , exercitatio , purgationes , unctiones : nec non aliqua ex iis , quæ per animi oblationem corpori prosunt , veluti musica , & camporum prospectus : at non item complaalia hujus generis , quæ necessariæ perfectioni adversantur , putat res alienas curiosa in-

indagatione exquirere, in supervacuas confabulationes se effundere, ex propriæ voluntatis instinctu operari, blandisque rerum ad suam laudem spectantium imaginationibus mentem pascere. Quartò, ut inter medicamenta solius corporis propria, potus, cibique parcitatem, quasi unum contra quosvis morbos exploratissimæ utilitatis præsidium, apprime eligant, illaque potius, quam deliciori vietu in sua procuranda valetudine uantur. Quintò, ut quæ ad infirmitatis suæ levamen opportuna esse arbitrantur, moderati, & sinè nimia solicitudine appetant, nè, si fortè iis fraudari contigerit, in graviorem aliam, racundiæ, ac mœroris infirmitatem incident, præque immodico externæ valetudinis studio, tranquillum animi statum, interiorem tunc longè pluris facienda, valetudinem perdant. Qua etiam de causa curandum erit, nè remedia querantur extraordinaria, magni sumptus, longè accersenda, nec inventus facilia; sed ea potius, quæ utpote communi usu trita ubique prostant, minimoque labore, & pretio comparari ab omnibus queunt. Sextò, ut si aliquando valetudinis gratiâ amœnam sibi peregrinationem fuscipiendam, vel placido in ruris secessu feriantur.

M 4

dum

dum existimarent, caveant plus justo ibi animum relaxare, sequere in omnem commodioris vitae usum, ac licentiam effundere: contenti per id tempus meliori victu, largiori somno, jucundisque, & longius productis amicorum colloquiis ægras vires refecere; non tamen omittentes, certam aliquan cūjuslibet diei partem divinis rebus tribiere, solitaque cum intentione animi ad justam, & spirituali viro necessariam suarum cupiditatem compressionem incuimbere: tamet hæc interior severitas redintegranda penitus valetudini minus nonnunquam prodesset.

13. Progrediendo jam ad quintum, extreumque incommodum, quod à corporis ægritudine afferri posse, ac solere diximus; non mediocri sanè damno obnoxium sibi hominem illa afficeret; si omni eum polaret spirituali consolatione, & lætitia: præsidio nimirum, sinè quo languidus, & inhabilis ad progrediendum in divino famulatu animus remanet: imò sinè quo neque se facile à præsentis vita voluptatibus continet. Teste siquidem D. Gregorio: *Esse sinè omni delectatione anima nunquam potest; nam aut infirmis delectatur, aut summis.* Sed duplex distinguenda nobis hic est spiritualis delectatio, &

la-

lætitia. Altera nimurum sensibilis , quæ animam exultare in DEO facit per actus vividos, alacres, incitatos, & citra omnem propemodum voluntatis deliberationem sua sponte exgentes : altera verò purè spiritualis , per quam anima de DEO gaudet , gaudio quidem minus sapido , experrecto , & vehementi ; sed stabiliore , & magis æquali , quia à se ipsa liberè electo , & intrà superiorem sui partem producto. Ex quibus licet prima non semper in potestate hominis sit ; sed plerumque inter corporis imbecillitates , languorésque deficiat ; secundā tamen , quisquis toto cordis affectu DEUM amat , & in teterrimo valetudinis statu frui potest , ab eaque illud robur ducere , quod ad progrediendum in DEI simulatu , & ad terrenas voluptates respuendas , imperfectiores animæ à prima mutuari opus habent. Hoc igitur secundi generis gaudium , & suâpte naturâ excellentius , & ad profectum animæ utilius , & nemini , præterquam ex sua imperfectione , ac socordia negatum , spiritualis vir debet inter quaslibet corporis ægritudines , suo in animo usque integrum , & vigens tueri. At quomodo id illi è sententia succedet ? Facillimè enim vero , & sinè ullo majori negotio , aut molimi-

ne , quām si juxta superiū dicta , quoties ad
invaletudinis suæ perturbationes , & molesti-
as mentem reflectit , eas simul à D E O esse
volitas , & sibi immissas meminerit : statim-
que profiteatur , se easdem , prout tales , dili-
gere , eximii muneris loco habere , plenissi-
mo voluntatis consensu approbare ; neque
cum ulla alia vel perfectissima corporis habi-
tudine mutatas velle . Hos siquidem spiri-
tualis gaudii actus frequentans , atque hoc pa-
cto DEI voluntatem in suis morbis , & suos
morbos propter voluntatem D E I amans ,
quantascunque inter pressuras , sincerissimam ,
suavissimamque obtinebit lætitiam , neque
illam merè (ut Theologi vocant) passivam ,
sed suo sibi Marte , & libero virtutis conatu
acquisitam : quæque nihilo illi minus , imò
& plus , quām sensibilis alia vigoris ad quascunque
tum terrenas delectationes repudian-
das , tum Christianæ perfectionis diffi-
cultates superandas sufficiet .



C A.

CAPUT VII.

De instrumentis perfectæ
conjunctionis cum DEO: &
primūm de omnifaria insectati-
one sui ipsius.

Parùntamen esset, quòd cupien-
tibus unum cum DEO fieri, nec
nisi ex eo vivere, ostenderim,
quænam impedimenta huic de-
siderio adversentur, & quibus superanda ar-
tibus sint; nisi etiam illa eisdem indicarem
præsidia, sinè quibus ægerrimè, imò etiam
nullo pacto exequi possent, quidquid ad e-
iusmodi finem perfectè, & secundùm omnes
suos numeros obtinendum requiritur. Quod
veluti in limine hujus appendicis me factu-
rum recepi, ità nunc ad supremum ejusdem
complementum facere aggredior: à suimet
ipsius insectatione exordiens, instrumento
videlicet, præsidioque, quo nullum facilè a-
liud majori verborum pondere à sanctioris
vitæ Doctoribus commendatur: adeò ut u-
nus è primariis minimè dubitet certissimam
in eo ponere Christianæ perfectionis mensu-
ram: cuilibet hujus studioso denuntians, pro
mae

magis, vel minus accurato illius usu, majo-
res item, aut minores suos fore in cordis
munditia, in charitatis fervore, inque ami-
ca cum DEO conjunctione progressus. Tan-
tum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris.
(Th. à Kemp. L. I. c. 25.) Et tales revera
efficacissimi hujus instrumenti vim esse, pro-
num cuivis intellectu erit, dummodo obser-
vet, undenam originem ducat, quidquid in-
ordinati, pravi, atque noxii in vita hominum
occurrit, omnes nempe animi perturbatio-
nes, omnes morum corruptelæ, omnia viti-
orum, & scelerum colluvies, omnis divinæ
charitatis, æternæque salutis impedimenta;
non enim ullum ex pestiferis his germinibus
aliunde pullulare, quam ex aliquo perduel-
lis naturæ, propriique amoris instinctu repe-
riet; & hoc animadverso, ignorare ultrà non
poterit, quanti ad vitam spiritualem, & per-
fectum DEI amorem momenti omnimoda
sui insectatio sit: utpote quæ perversos illos
motus in anima exscindens, omnium unâ illi-
us malorum radicem exscindit. Unde tan-
dem manifestò colligitur, quanto quis studio
expetit DEO sese totum impendere, nec nisi
ex eo vivere: tam enixè item curandum ei
esse, ut se ipsum ubique insectetur, nulla in

re

reamori proprio obsecundans , sed omnes illius appetitus implacabili severitate elidens : juxta praxim in tertia parte hujus operis fusè explicatam. Quam , ut promptior ad manum sit , summatim collectam hic reponere , & in quinque genera visum est dispertiri , quot nempe sunt materiæ , circa quas naturales nostri appetitus & excitari solent , & comprimi debent : ita ut , qui se ipsum omnimodis infectari , & subigere cupit , sedulò id exequi euret , tum circa facultates externas , tum circa corporis oblectamenta , tum circa existimationem sui apud homines , tum circa liberum voluntatis propriæ usum , tum circa objecta , quibus pasci , & expleri mens gaudet : duo hæc in unoquoque dictorum generum servans : primum , ut semper , quoad fieri potest , & refugiat , quidquid genio suo arridet : & quidquid ingratum eidem est , amplexatur : secundum , ut , si quando cogatur ei morem gerere , nè id libenter , & amore illius faciat , sed ægro potius animo , & mera supernaturalium rationum vi impulsus .

2. His ergo præmissis , res visibles primò , & facultates externas sumamus . Quidnam ex naturæ instinctu de his homines appetunt ? Non aliud utique , nisi earum afflu-

en.

entiam, & lautitiam, quanta nedum commo-
dis vitæ usibus plenè sufficiat ; sed eorum
quoque fines , ac modum ulteriori magnitu-
dine excedat: nimirum possessiones amplas,
reditus pingues, ædes magnificas, numero-
sum famulitium, vestes splendidas, lectos de-
licatos, copiosam supellectilem , & quidquid
præterea divitiarum nomine comprehenditur.
Ergo prædicta omnia fugienda è con-
trario illi sunt, qui perpetuum nativis cupi-
ditatibus suis bellum indixit : adeò ut nihil
amplius rerum quærat, possideátque , quām
quod sibi ad merē necessarios vitæ usus sit fa-
tis: vel si adhuc pleniorē gestit de se ipso,
déque iisdem naturæ cupiditatibus victoriam
referre, universis facultatibus propriis nun-
tiū remittens, è paternæ domū , ac fortis
laxitate in angusta religiosæ paupertatis clau-
stra se transferat : ubi contra opulentorum
hominum consuetudinem , qui plura sibi ad
commodius habitandum gaudent disponere ,
alia æstiva , alia hyberna , & alia his , alia illis
usibus destinata conclavia ; ipse toto è cœno-
bio non nisi unam patiatur se habere, eāmque
inter omnes, quarum optio arbitrii sui sit, an-
gustissimam , & pauperimam cellulam. Illi
necessarium in domestica supellectile existi-
mant,

mant, quidquid ad majus commodum fiat,
neque ad commodum solummodo præsens,
sed ad quocunque item aliud, cuius un-
quam se præbere possit occasio, imo parum
divites sese arbitrantur, nisi multa omnino
supervacanea, & redundantia domi habeant;
ipse nihil in cubiculo suo ferat, nisi prorsus
necessarium ad communes, & quotidianos
vitæ usus: procul indè alegans omnia illa u-
tenilia, sinè quibus fungi, esto minùs com-
modè, ordinariis suis actibus potest, aut qui-
bus non nisi admodum raro opus habet, aut
quæ ad incertorum duntaxat, & merè possi-
bilium casuum opportunitates consueverunt
servari, ant quæ respectu saltēm numeri su-
pervacua censeri possunt, veluti plures sellæ,
plures forfices, & quidquid præterea multi-
plicis instrumenti apud se esset. Illi præter
utensilium copiam, splendorem quoque, &
pompam studiosè in iis quærunt; ipse mero
usu eorum, quibus eget, contentus, averse-
tur, & respuat, quidquid speciei tantum gra-
tiâ appeti solet: in omni seu corporis, seu
cubiculi instrumento, putà in vestibus, in li-
bris, in mensa scriptoria, in sedili, in atra-
mentario, in lucerna, & similibus, quæ ma-
xime vetusta, cariosa, decoloria, infimique
pre-

pretii sunt, eligat. Illis mos est, ministrorum gregem domi habere, qui citra suum laborem, aliis alii in rebus, atque officiis sibi operam navent; ipse conetur, quantum potest, omnia, quæ sibi opus sunt, per se agere: per se exempli gratiâ sibi vestes resarcire, per se cubiculum verrere, per se aquam, oleum, & reliqua ad necessarios usus spectantia afferre: abnuens, quamvis ultro offerretur, nec exiguo interdum sibi esset levamenti, omnem aliorum operam: imò studens potius, quibuscumque aliis, ubi occasio se dederit, famulatum præstare, eorum in se onera, ac pensa suscipere, suóque omnes ministerio, & labore allevatum ire. Demum illi rebus possessis toto corde inhærent, gestientes, in contemplando earum apparatu, nec secùs, ac si membrum aliquod sibi abscederet, dolentes, si partem aliquam de earum summa sive hominum fraus, seu vis casuum abstulerit; ipse supra necessarii usûs sui reculas toto animo emineat, nihil molestiæ hauriens, aut lædi se putans, si forte sibi aliquid circa viculum, vestitum, aut supellecilem cubiculi contingat deficere: quin hilari vultu ejusmodi casus excipiens, tanquam cum amata sibi paupertate apprime congruentes, proque illis peculiares DEO referat gratias.

3. Ve-

3. Vehementior naturali amore erga di-
vitias, bona scilicet penitus homini externa,
amor est, quo erga corpus afficiuntur, partem
nostrum, esto minus nobilem, at certe magis
sensibilem. Quia nobrem, quād majore
vi natura nos urget, ad illius sensus omni de-
liciarum genere oblectandos, & ab omni de-
fendendos molestia; tanto impensioni nos
debemus conatu omnia, quae appetunt, iis
subtrahere, & omnia, quae odentur, in-
gerere. Enī igitur primum ei servandam, qui se-
ipsum, & naturales suos instinctus omnino
comprimere velit. Quoties corporis sensi-
bus, visui, auditui, olfactui, gustui, atque ta-
ctui placere aliquid viderit, debet id illis, nisi
necessarium sit, interdicere; & quoties con-
tra aliquid invisum iisdem esse animadverte-
rit, debet illos, quatenus justa ratio permit-
tit, ad id tolerandum compellere.

4. Sed præcipue cum duobus postremis,
erga quos indulgentia plus perniciei posset
afferre, prædicto rigore utendum est. Ac
proinde, quād ad gustum pertinet, quemad-
modum hic pabulum sibi subministrari ap-
petit & frequenter, & lautum, & ad plenam
satietatem sufficiens, avidèque illo fruitur, &
prius etiam, quam re ipsa fruatur, illitis volu-
ptate in desiderio, & imaginatione prævenit:

N

sic

sic ipse contrariam omnino rationem insitens, debet primò, quandoquidem omne prorsus denegare illi pabulum nequit, certa saltèm diei tempora huic præfinire, plurimùm duo: extra quæ, quamdiu bene valet, omni penitus sibi cibo, & potu, non aliter, quàm ante sumptionem Eucharistix, interdicat. Secundò ipsis prandii, atque cœnæ temporibus viçtu quàm parcissimo uti: adeò ut si B. Aloysii Gonzagæ abstinentiam non valet æquare, cuius ordinariæ refectiones intrà unciolam perhibentur stetisse; at ex quovis apposito sibi ferculo aliquam semper partem, eámque cæteris sapidiorem appetitui suo neget, sæpe etiam ferculum quodpiam omnino intactū remittat, neq; unquā à mensa plenè satur discedat. Tertiò ad externorum convivia nunquam accedere, aut, si cogatur aliquando iis interesse, domesticæ frugalitatis suæ modum non egredi: quemadmodum etiam celebrioribus per annum diebus nihilo largius, quàm ordinariis, & communibus vesci. Quartò lautiora quædam opsonia, ceu pullos, placentas, bellaria, aliásque id genus delicias, finè quibus vivi potest, & potior pars hominum vivit, suo ab ore in perpetuum excludere: imò simili severitate uti circa illas quoque escas, quæ, licet non alienæ à pauperum mensis,

sis, peculiariter tamen palato suo arrident, ceu nonnullæ pīscium, lacticiniorū, fructuum, & leguminum spicies: ab iis sibi oblatis vel penitus, (quod consultius factu esset) vel saltem plerumque abstinentio. Quinto missa prorsus facere ea condimenta, quorum non aliis est usus, nisi intendere epularum saporem: quin hunc potius, quantum citra affectationis notam fieri potest, frigidæ aspersu, seu alio artificii genere obtusum, extinctumque sit. Sexto vinum vel omnino abdicare, vel tantum diluere, ut nihil amabilitatis, vigilsque retineat. Septimo placide, & citra importunam festinationem, aviditatēmque cibum sumere, nè animus intrā patinas demergatur, sed sibi præsens, libere interim respicere Deum possit, & vel singulos quosque illi efferre bolos, quibus ejus gratiā corpus reficit. Octavo epularum gustu, & voluptate quam minimum affici, curando dum vescitur, ab omni illarum cogitatione, atque sensu ad nobiliora objecta mente in traducere. Nonò extra tempus mensæ, nunquam de victu seu intrā se cogitare, seu verba cum aliis facere. Decimo si dapes appositæ parciores fuerint, aut perperam coctæ, aut ad palatum, & stomachum suum minus appositæ, nè ob prædicta earum vitia cuiquam succenseat; sed ea

potius ad amicam Dei , supremi symposiaſtæ providentiam referre , & pro peculiari ſumere gratiarum materia , quas ſub mensæ finem ei persolvi moſ eſt.

5. Secundum quæ commendandum etiam , atque etiam illi habeo , ut immobili propositi firmitate custodiat ſive hanc , ſive aliam abſtinentiæ rationem , quam contra naturales g��us illecebras ſibi ſemel præſcripſerit: nunquam relaxando ejus rigorem , cujuscunque artificiosi prætextūſ causâ , quo ad eum circumveniendum gula uteretur : nimirum vel quia leges , quas ſibi conſtituit , nullam obligandi vim habent , conſultiūſque videtur , prudenti libertate , ubi locus , rēſque poſtulat , eas mo derari ; quam ſervili , & ſuperstitioſa obſervatione ſe iis mancipare : vel quia uſurpata hic nūnunquam , aut illic earum relaxatio , ceu poſt plus vigoris corpori , & alacritatis animo , ſic plus etiam ſibi habitudinis ad ope randum pro Dei gloria ſufficere : vel quod ad eas in præſenti occaſione aliquantulum mitigandas , nullo ſibi videtur impotenti , & turbido affectu , ſed tranquilla , ſedatāque vo luntate incitari : nec proinde , ſi id faciat , immoderatæ voluptatum cupidini ſit morem geſturus ; ſed opportuna , & ſalubri ratione conſulturus imbecillitati naturæ , quæ nè igna-

vo

vo marcore obtorpescat , exhilarari inter-
dum, & tempestivis refici levamentis necesse
habet. Nè, inquam , fucum sibi fieri fraudu-
lentis id genus suasionibus patiatur ; sed tria
hac potius certissimæ veritatis effata penitus
sibi in mente defigat : primum , si gulæ appre-
titui semel , aut bis , & parva in re indulserit ,
non aliò id valiturum , quàm ut & illa ad no-
va in posterum petenda audacior , & ipse im-
becillior ad repugnandum ei fiat : cùm è con-
trario , si nulla in re illius postulatis annuat ,
intrà breve tempus , & post paucas in peculia-
ri quavis materiâ horum repulsas , adeò su-
periorem se illâ evasurum , ut facillimum de-
inde experiatur eam refrænare , imò etiam
paulatim assuefacere , ad qualemcunque illam
austeritatem minùs gravem postmodo sen-
tiendam , patientiusque , & sinè tot renisibus ,
ac querelis ferendam. Secundum , si perpe-
tuus , & semper æqualis abstinentiæ rigor non-
nihil aliquando obesse robori valetudinis po-
test , multò plùs tamen eidem effrænatam gulæ
aviditatem officere : quam cæteroqui intrà
justum temperantiæ modum continere diffi-
cillimum homini sit , nisi certa aliqua , & nun-
quam variabili severitatis ratione circa victum
utatur : ac proinde ipsiusinet corporis rectæ
habitudini utiliorem esse immobilitatem ani-

mi, in perpetuo retinenda, quam facilitatem, in laxanda hic, aut illic abstinentia sibi semel præscripta: si haec alioquin neque excedat ordinarias hominis vires, neque aut citra matram deliberationem suscepta, aut ante certi temporis experimentum comprobata, & stabilita ab eo fuerit. Tertium, quamvis minorem aliquantulum in quibusdam peculiaribus circumstantiis ordinariam circa vietum severitatem, ad augendum corporis vigorem conduceret; nihilominus qualemcumque hanc utilitatem nullius momenti futuram, pregravissimis, quæ indidem sequerentur, damnis: inconstantia nimirum in recte decretis, & auctoritate potius juxta temerarios genii instinctus, quam secundum certam, & stabilem rationis normam vivendi.

6. Circa tactum vero insectari corpus debebit, tum omnia ei negando illa commoda, quæ ad ejus delicias potius, quam incolumentem faciunt, tum eas omnes cogendo ipsum pati asperitates, & molestias, quibus sine gravi laesione affligitur: ita ut assiduis fatigetur laboribus: somni tempora non satiate, sed mera necessitate definita habeat, neque aliis eum capiat in stratis, quam vel super nudos asseres, vel super culcitra, duritiâ penè asseribus pari: mollium indumentorum loco,

hispi-

hispidis tegatur ciliciis : hiberna frigora , &
estivos calores sīnē nimiā se tuendi ab iis cura,
tolerare assuecat : in situ detineatur quām
maximē incommodo , humeris scilicet nulli
fulcro innixis dum sedet, genibūsque inter
orandum humili flexis, & brachiis simul in cru-
cis formam extensis : muscarum importuni-
tatem, & pulicum morsus , si non semper, at
compluries, immotus sustineat: aculeatis de-
num ciliciis, crebris verberationibus, & qui-
buscunque aliis piæ fævitiae artibus crucietur.
Quantò enim severior in eo, quo usq; licet, ve-
zando erit : tantò pleniorem victoriam de in-
natis, ad illud usquequaque fovendum pro-
pensionibus referet. Nisi quòd neque con-
tentus omnino esse debeat suppliciis à se illi ul-
tro irrogatis; sed gaudere insuper, quòd Deus,
aliæque res creatæ ad illud afflictandum unà
secum conspirent: veluti exempli gratiâ, cùm
capitis, aut dentium dolore torquetur: cùm
invaletudinis, vel alterius impedimenti causâ
nequit somnum capere : cùm hiems præter
modum frigida, aut æstas ferventior solito est:
cùm ventus, nix, pluvia, aut alias quivis casus
molestiam affert, non æquo duntaxat, verùm
etiam hilari animo omnia hujusmodi exci-
piens: utpote qui profitetur sensus intrà se, at-
que affectus fovere iis omnino contrarios,

N 4

quos

quos natura humano generi inseruit, & quibus hoc communiter suam vitam moderari videmus.

7. Non tamen ad perfectam sui ipsius infestationem sat est, contra innatos amoris proprii appetitus tendere, circa corporis bona, atque mala, hæc quærendo, & illa aversando; nisi eadem ratione illis contraeatur circa bonam quoque, vel malam existimationem, quam de nobis concipere homines possunt: tantum illam semper fugiendo, quantum alias quæritur, nec minus hanc ubique optando, quam vitari soleat. Quò igitur secundum utramque suam partem id fiat, perfecta infestatio sui à vero quovis amatore Dei exigit, ut juxta superiorem capitilis quarti doctrinam à nullo unquam mortalium sua sciri seu fortunæ, seu naturæ, seu virtutis decora optet; quin imò ea penitus occultare, quantum potest, conetur: neque, si alicujus ex iis causâ honorari se viderit, honorem illum libens, gaudensque excipiat, sed oderit potius, & tamquam pestem, quò blandiorem, eò magis timendam, omni arte, atque industria prohibere à se studeat. Secundò ut vijet similiter externam quamvis speciem, unde hominum vulgus ad eum aestimandum, magnique faciendum posset induci, veluti familiarem cum Proceribus consue-

consuetudinem , splendidas vestium phaleras,
& primariorum administrationem munerum:
amando potius cum infimæ plebis quisquiliis
conversari , pannoso sub amictu intuendum se
in triviis præbere , & contemptissima quævis
ministeria palam obire . Tertiò, ut, cùm alios
præclaris naturæ, virtutisque dotibus eminere,
atque solitis celebrari plausibus videt , faveat
ipsorum gloriæ , eamque latus aspiciat , &
quantum in se est, augere contendat, hac etiam
de causa , quod exuperanti illius claritudine
sua obscurari ac imminui existimatio potest.
Quartò, ut de quovis contemptu , probro , &
confusione sui gaudeat : ceu exempli gra-
tiâ, cùm personis etiam inferioribus in laude ,
atque honore postponitur: cùm aliquid occul-
ti sui dedecoris in hominum notitiam emana-
re contingit: cùm minus plausibilem publicus
aliquis suus actus , putâ concio , aut disputatio
exitum habuit: cùm per imprudentiam, erro-
remque aliquid fecit, aut dixit, unde astantibus
deridicolo fuerit: cùm alii suas res in deterio-
rem partem accipiunt, aut jocis, & dicteriis per
ludibrium traducunt: cùm sodalium quilibet ,
tametsi ætate , atque ordine inferior , jus sibi
assumit, pro potestate cum eo agendi, ipsi im-
perandi, eum commonefaciendi , atque incre-
pandi : cùm coram præsens procaciter deride-
tur,

tur, fœdissimis conviciis proscinditur , etiam cùm manibus per summam contumeliam rapatur, & cæditur : cùm deum videt, nullam sui rationem haberí, sed omnes, sumos, medios, & infimos, certatim sibi tamquam vilissimo capti illudere , suáque humilitate ad majorem petulantiam , & extremos quoque insultus abuti. Quintò, ut præter jam dictum de quolibet sui contemptu lætitiam , pergit ulerius, ad eundem , quoad finē aliorum culpa , & DEI offensa fieri potest, optandum, imò etiam illius occasiones, ubi fas est, servatisque cautinibus, quæ præscriptæ alibi sunt, ultro aucupetur : palam omnibus faciens , quibus nihil proventurum damni indè sit, nativi sui generis vilitatem, perangustos ingenii sui census, suæ doctrinæ , prudentiæ , virtutisque egestatem, & quidquid vitiorum, ac scelerum in conscientia sua latet. In summa, ut , quanto studio ambitiosissimi quique mortalium primos in omni laudis genere honores , & plausus vennantur ; tanto ipsè contra votorum ardore, ultimum semper in locum rejici , & pro nihilo haberí ab omnibus cupiat.

8. Neque minùs infenso illum esse , & hostili prorsus animo decet contra innatos voluntatis propriæ appetitus, nulla in re iis obsecundando, sed eorum quosvis motus, simul atque

CXOR-

exorti fuerint, imò priùs adhuc, quām exori-
antur, implacabili severitate elidendo. Quam
in rem opus erit primò, ut semel aliquando
exuat se coram Deo omni penitus sua volun-
tate: in perpetuum hanc holocaustum, ei traba-
libus clavis, nè unquam indè avellatur, illi cru-
ci suffigens, in qua ipse, ut Patris potius, quām
suam voluntatem impleret, extremum spiri-
tum reddidit, *fæctus obediens usque ad mortem.* Se-
cundò, ut peracto hujusmodi sacrificio, juxta
illud vitam porrò instituat, & quavis in re, eti-
amsi omnino libera, nec ulla gravis obligatio-
ne huc, aut illuc impellente, voluntatem pro-
priam divinæ posthabeat: nihil unquam audens
facere, quod minùs gratum DEO esse videt,
quantumcumque naturalis appetitus in id pro-
pendeat; seu contra omittere, quod placitu-
rum ei noverit, quantumcumque id repugnans
genii propensionibus sit: sed in quavis ejus-
modi occasione alacriter repeatat: *non sicut ego
volo, Pater, sed sicut tu.* *Non mea, sed voluntas tua
fiat.* Tertiò, ut eadem cum submissione er-
ga suum Præsidem, vel Patrem spiritualem se-
gerat: in illius Persona, & voluntate, perso-
nam, & voluntatem Domini agnoscat: ne-
que ideo aut faciat unquam, quod vetitum,
aut facere omittat quod ab eo præscriptum
est, quamvis actio & levissimi per se ipsam mo-
menti,

menti, & sub nullius culpæ reatu præcepta es-
set, aut vetita. Quartò, ut hoc pacto modera-
torum suorum voluntatem impleat, non so-
lùm quoties disertis ea verbis exprimitur, sed
quoties itèm tacito ex nutu, vel alia significati-
one innotescit: nihilominus promptè exe-
quens, quidquid illos à se cupere intelligit,
quàm si de illo exequendo expressum acce-
pisset mundatum. Quintò, ut cùm aliquid im-
peratur suæ voluntati contrarium, cum omni,
quà externa, quà interiori alacritate imperium
excipiat: nihil contrà objiciens, neque ullum
interioris difficultatis repugnantiaque signum
exhibens; aut quidquam faciens, dicénsve, cu-
jus respectu moveri Præses possit ad revocan-
dum, quod jussérat; imò id genus imperia li-
bentiùs, promptiùsque exequatur, quàm quæ
cum naturali propensione sua congruunt.
Sextò quidquid se facere Moderatores jusse-
rint, nè contentus sit eorum jussu circa solam
faciendæ rei speciem, sed illius quoque tem-
pus, ac modum, & reliqua adjuncta definiri
sibi postulet: quò scilicet nihil loci voluntatis
suæ arbitrio supersit. Septimò, ut promul-
gari præcepta audiens sub anathematis pœna,
vel in virtute sanctæ Obedientiæ, gratuletur si-
bi de novo illo nexu voluntati suæ addito, &
consequenter gaudeat, quòd eam arctioribus
vincu-

vinculis obligatam, & constrictam videat: secùs ac permultis mos est, qui pro suo erga voluntatem propriam amore, uti omnino expeditam, & sui dominam habere illam vellent: sic molestè ferunt, nativam illius libertatem talibus præceptis imminui. Octavò, ut inter actus virtutum eos hilariùs, præcipuaque & peculiari cum jucunditate exerceat, ubi minus arbitrii sui est: nempe ad quos exercendos, citra ullam sponteñam electionem, vel à Præsidum jussis, vel à ratione sui munera cogitur. Nonò, ut ea itèm officia in primis amet, & chariora habeat, in quibus præter occupationes consuetas, & certis diei partibus stabili lege attributas, extraordinariæ complures, quando minimè cogitatur, emergere, & ingruere identidem solent: adeò ut eorum administer nullum penè habeat tempus, quo certus sit liberum sibi fore pro arbitratu, juxtaque destinationes voluntatis suæ uti: & si fortè aliquod huic, vel illi operi impendendum se posuerit, illud non raro ab alia ex improviso superveniente occupatione sibi præripi videat. Decimò, ut nihil, quantumcunque egregii, & sancti operis aut suscipiat, aut faciendum decernat ex proprio instinctu, & sine illius approbatione, qui DEI vires gerit. Quò etiam pertinet, non statuere juxta privatum suum placitum de tempore,

quod

quod ex ordinariis sui muneris functionibus superesse consuevit, sed ab eodem sciscitari, quo pacto, & quibusnam in ministeriis sit occupandum. Undecimò, ut quando eundem consilii capiendi, vel petendæ facultatis gratiâ adit, in perfecto æquilibrio, & omnimoda voluntatis suspensione se contineat: nudam eirēm proponens, neque ullis deinde utens arbitribus, ad illius animum in alterutram partem flectendum. Duodecimò, ut si quando idem propositæ rei arbitrium sibi permitteret, nè illius indulgentiæ acquiescat: sed sincera depreciatione apud eum instet, ut ipse potius, quid, & quo pacto agendū sit, pro sua authoritate definiat. Decimò tertio, ut non contentus, DEO, ejusque vicariis suam voluntatem submittere, omnibus quoque eam submittat, inter quos agit, unumque inque ex iis pro superiore habens, circa illa, quæ à se petit, aut cupit: neque illos unquam pertrahere ad suum placitum studeat, sed eorum potius votis, atque studiis se ipsum accommodet. Decimò quartò, ut inter quotidianos rerum eventus de iis magis gaudeat, qui voluntati propriæ, infensissimo nimirum, & præcipuo hosti, magis repugnant. Decimò quintò, ut caveat à nimio in suis cupiditatibus, esto cæteroqui honestis, ardore, anxiâque solicitudine, videndi eas quam primùm explē.

expletas, & suo eventu potitas: lentiūs igitur solito operetur, quando ab inquietis hujusmodi stimulis ad festinandum urgetur, differens iis operam dare, quoad is tumultus, atque fervor propriæ voluntatis refederit. Decimò sextò, ut inter actiones exercendas, illis, quantum fieri potest, primatum temporis tribuat, à quibus alieniore animo est: quásque juxta instinctum naturæ vel nunquam susciperet, vel tunc solum, quando nihil jam restaret ulterioris temporis, in quod reservari possent. Decimò septimò, ut nè plus justo ulli suarum destinatio- num adhæreat, volens eam quovis pacto ad suum finem perducere, neque ullam pati sciens quietem, donec id consequatur: sed tranquillo, & indifferenti animo illius exitum oppre- riatur, qualem, seu prosperum, seu adversum, contingere DEO magis libuerit: utpote qui ni- hil aliud omnino vult, nisi quasvis suas volun- tates cælestis Domini arbitrio subjicere. De- cimò octavò, ut, si quod fortè suum votum, con- siliūmque optato successu per contrarias alicu- jus machinationes caruerit; locò malevolen- tiæ adversùs eum concipiendæ, causas potius indè sumat, amandi hominem, séque illi debi- torem ferendi, tamquam adjutori suo, in gra- vissimo oppugnandæ voluntatis propriæ nego- tio. Decimò nonò, nè ex inordinata cupiditi-

cate transeundi quantocuyus ad alia opera, justâ illud curâ defraudet, quod tunc habet præmibus: nonnullorum more, qui Horas canonicas præcipiti cum festinatione decurrunt, & mente interim conversa ad studium, vel aliâ occupationem magis sibi gratam, cui deinde vacaturi sunt, & in qua versari jam vellent; sed cum pleno animi affectu, & tota mentis attentione id agat, quod in præsenti agit, tamenquam rem, quam unam per id tempus curare, & præferre aliis omnibus debet. Vigesimò, nè unquam tædio succumbat adeo, ut levandi ejus gratiâ, honesti quidquam moris vel servare omittat, vel à consueto, atque proprio in diversum aliud tempus rejiciat; sed quantumcumque se angi, & præfocari quodammodo, atque opprimi sentiat, obsirmet animum, ad perseverandum in iis, quæ ratio suadet; cogitans: faciendum hoc est, et si te disrumpi contingat. Postremò, ut generatim pro assiduo, & principe scopo habeat, voluntatem propriam semper, inque omni re oppugnatum ire: intuens illam, quasi inimici voluntatem, nullasque occasions non captans, ut possit ægre illi facere, nec de ulla re magis gaudens, quam si DEUS, hominesque ad eam reprimendam, & pessumdam secum conspirent.

9. Propensionibus voluntatis ad hunc modum

dum subactis, reliquum est omnimodam affectanti de seipso victoram, ut simili fortitudine intelligendi etiam facultatem, & naturalia ejus vitia, effrænem nimirum de re quavis cogitandi licentiam, inordinatam quidvis cognoscendi curiositatem, nimiam sui judicii fiduciam, & vanam de seipso existimationem profliget. Debet igitur primò coercere naturalem mentis appetitum discurrendi per quæcunque sibi libeat objecta: nunquam ei permittens, sive aliorum facta, eventus, & mores, seu præteritas, & futuras res otiosa contemplatione, nimirū non aliâ, quâm contemplandi causâ, lustrare; sed cogens potius, quantumvis reluctantem, ut inanibus hisce phantasiis ablegatis, quarum non alias est frustus, nisi animum inquietare, & ab utilioribus objectis avertere, cogitationes suas omnes in uno DEO, iisque rebus, quas ex voluntate DEI agit, defigat.

10. Opus præterea est, eandem compri-
mere circa studium supervacua, & inutilia di-
scendi: ità ut primò clausos oculos gerat ad
ea omnia, ex quorum visu, & cognitione nil
emolumenti perciperet: nunquam idcirco
eos convertens ad observandum, quid ab aliis
fiat, quisve strepitûs fortè audit, vel alterius

O similis

similis eventus, author fuerit: neque paginas
volvens libri, quem legit, ad collendum ea-
rum numerum, quae sibi adhuc supersunt le-
gendæ: neque primò manè ad fenestram ac-
cedens, prospiciendi gratiâ, quis Cæli habitus
sit? neque unquam confluens ad videndum,
aut intuens, cùm fortè sibi occurruunt, adve-
nas famâ celebres, illustres divitium pompas,
Iudicras equitum decursiones, splendidè ex-
ornatas Principum ædes, aliisque id genus spe-
ctacula, quae vulgi concursus raritate sua ex-
citant. Secundò, nunquam percontetur, &
certior fieri studeat de rebus, quæ ad se mini-
mè attinent: veluti de aliorum factis, de con-
nubiis, de apparatibus, atque eventis bello-
rum, de politicis Regum negotiis, consiliisque,
de inopinatis aulicarum sortium vicissitudini-
bus, deque aliis similibus successibus, qui fa-
mâ per orbem circumferri, & plurimo cele-
brari sermone hominum solent. Tertiò, ne-
que item seu sciscitando ab aliis seu conjectu-
ram faciendo, eorum notitiam exquirat, quæ
ad se pertinent quidem, sed cognita nullum
fructum afferrent: putè exempli gratiâ, quid
ciborum sibi hodie pransuro apponetur: post
quantum temporis absoluturus videatur scri-
ptionem, cui in præsens operam navat: quot
dies

dies reliqui sint usque ad tempus hujus, vel illius rei, quam cupidè expectat: quamdiu permanebit in præsenti suo munere, & loco, quámque sibi postmodum stationem, & provinciam assignaturi Præfides sint? quis domi, atque foris sit de se hominum sermo? quanta cum approbatione suam illam concessionem Auditores acceperint? Quartò nullum, ut cunque spirituale in librum legendum suscipiat, nullamque ad doctrinam, esto utilem, ac necessariam se applicet, ex mera aviditate discendi, sed fructum duntaxat pro fine habens, quem ad majus DEI obsequium relaturus indè est. Quintò, neutquam pluris, ac par est, scientiam faciat, sollicitè, anxièque illam quærens vel se circumspiciens, aliisque anteponens, si eâ instruētus amplè sit; vel mœrore animum contrahens, ac sorti suæ irascens, si idonea destituatur facultate in ea proficiendi, quantum cuperet, & quantum videt alios proficere: sed firmissimè sibi persuadeat, unicum divinæ charitatis gradum omnibus, quotquot sunt, humanæ scientiæ thesauris pretio antecellere: nec proinde orationi, charitatisque, & obedientiæ exercitiis ullam vel minimam legitimi temporis partem subducat, literarum nempe studio eam largitus:

rus: quod utpote secundarium, & inferioris ordinis munus, contentum esse affatim debet quacunque seu brevi, seu ampla temporis parte, quæ supradictis excellentioribus, magisque necessariis occupationibus superfuerit.

II. Quem apmodum porrò insitum à natura homini est, judicio suo multum tribuere; sic qui adversus naturam, ejusque instinctus perpetuum, & universale bellum suscepit, quam minimo in pretio habere illud debet: ideoque primùm, nunquam ei fidere, tamquam si per se unum sibi sufficeret; sed post accuratam de quovis negotio consultationem secum habitam, aliorum quoque de eodem sententiam exquirere, paratus repudiare, quod sibi visum erat melius, si ab iis improbetur: secundò consilia sua omnia moderatorum suorum judicio submittere: non solum exsequendo quidquid illi contra suam sententiam factu melius censuerint; verum etiam non dubiè sibi persuadendo penitus ab iis, quam à se rem introspici, ac proinde certius etiam de ea judicari. Tertiò, si in familiari cum sociis sermone, eorum quispiam sibi contradiceret, non mordicus, & præfateret suam sententiam, quasi evidenter potiori tueri; sed modesta cum judicii suspensi-

ne

ne illius rationes proponere, instar hominis, qui ambiguam veritatem exquirat, non certò comprehensam se tenere arbitretur: eadémque cum æquitate, & sui dissidentia contrarias audire, imò specialiùs his favere, propensoque animo esse, ad eas, nisi palam infirmiores essent, suis præferendas: utpote in quibus approbandis, nihil periculi sit, nè velut in propriis à naturali rerum suarum amore fallatur. Quartò, cavere, nè erga alios Doctoris personam, authoritatémque usurpet, suis ultro institutionibus eos dirigendo, perinde quasi non ipse potiùs ab iis dirigi opus haberet: multóque magis, nè ullius consilia improbet, præsertim antequam illius rationes audierit, & ubi manifesta non apparent erroris indicia.

12. Ultimum inter mentis vitia, ab eo corrigenda, est naturalis propensio ad magnificè de seipso opinandum, suásque dotes, quæ opinioni huic fomitem suggerunt, assiduè habendas præ oculis, & quidem in modum vero majorem exaggeratas, & præstantiores visu, quam re ipsa sint. Unde consequitur inanis fastus, & pharisaica illa intrà semetipsum gloriatio: *non sum, sicut cæteri hominum.* Quò igitur hac etiam in parte agendi rationem sequatur, naturæ institutis usquequaque

contrariam ; debebit primò severa, & universali lege sibi interdicere , nè unquam ad sua decoramentis aciem convertat , vel in ulla eorum vel brevissimè contemplando immo-
retur. Secundò , ubi illa etiam nolenti sese ultro objecerint, non tam splendida, & magnifica existimare , quām per amoris proprij na-
turales præstigias apparent ; sed ad eas potius rationes respicere , quæ diminuendæ illorum æstimationis vim habent : nempe ad ulterio-
rem præstantiam , quæ assequenda sibi su-
perest , & secundūm quam à plurimis aliis ex-
ceditur. Tertiò sæpe intrà semetipsum co-
gitando retractare , & familiares menti redde-
re suas quā physicas, quā morales miseras, un-
de tum aliis quibusque, tum sibi ipsi aspernan-
dus meretur videri : tot scilicet corporis, ani-
mique necessitates , infirmitates , atque æru-
mnas, queis obnoxius naturā est : tot vitia, &
inordinatos affectus, quorum acerbissima ty-
rannide opprimitur : tot salutis æternæ peri-
cula, in quibus continenter versatur : tot de-
nique criminum labes , quibus undique obsi-
tum, & fœdissimè inquinatum animum gerit:
persuadendo sibi insuper hujusmodi dehone-
stamenta multò plura, & majora esse , quām
per interioris sui visū imbecillitatem valeat
perspi-

perspicere. Quartò, abjectissimam de seipso opinione in concipere, adeò ut nemini unquam se præferre audeat, immò omnium, quotquot sunt, mortalium vilissimum, maximèque contemnendum existimet. Quintò demum, quandoquidem ità humiliter de seipso opinatur, ità etiam versari inter homines, eorum videlicet quemque cum ea tam interiori, quam exteriori submissione alloquendo, quā uti quisque inferior, in agendo cum superioribus solet,

13. Hæ igitur præcipuæ communiorēs que materiæ sunt, in quibus sedulus DEI amator insectari seipsum debet, agendo in unaquaque earum contrà omnino, quam agere, & velle soleat natura: adeò ut sicut hæc ubique intuetur, quid maximè commodum, delectabile, & honorificum sit, illudque appetit, quærit, atque elit, fugiens altera ex parte, quantùm potest, omne incomodum, omnem sui depressionem, omnem corporis, animique molestiam; ità ipse ex adverso, inter omnia, quæ sibi evenire, vel fieri à se possunt, oculos semper conjiciat in id, quod pauperium, quod abjectissimum, quodque incommodissimum est, & illud peculiari desiderio appetat, illud, cùm sui arbitrii res est, præ cæ-

teris eligat, de illo, quandocunque obtigerit, maximè gaudeat. Non veluti à compluribus religiosis cæteroqui viris, & spiritualis vitæ studium præ se ferentibus, fieri consuevit: qui jussi à moderatoribus suis aliquò profici, & hoc, aut illud obire munus; solicita statim mente percurrunt, quidnam humanitus grati in assignato sibi loco, atque munere inventuri sint: putà, quod ad locum pertinet, cæli salubritatem, urbis splendorem, cœnobii amplos redditus, & habitationem percommodam, Collegarum antiquam secum familiaritatem, Præsidis liberale, & facile ingenium; circa munus verò, num suo ex genere honorificum sit, num exigui laboris, num suæ habitudini congruens: læto, aut tristi animo capeſſentes imperia, prout in rebus imperatis seu prædictas, seu contrarias qualitates adverterint: cùm, si altè imbuti eſſent facro illo ſui odio, quod in ſectatoribus ſuis Christus requirit, opposita prorsus ratione deberent, quid in rebus demandatis abjecti, laboriosi, naturæque invisi appareat, primò observare, & illud præcipuo itèm studio, atque amore complecti.

CA-

CAPUT VIII.

Secundum ejusdem instrumentum proponitur , assidua nimis
rum sui ipsius , & totius suæ vitæ
observatio.

Si cœlestes ii spiritus , quos B. Iohannes in Apocalypsi descripsit , ad divinam contemplandam Essentiam , *in circuitu , & intus , antè , & retro pleni oculis* erant ; terrestres quoque Angelos , hoc est spiritualis vitæ sectatores , ad exactiorem sui custodiam , oculatos undique , *in circuitu , & intus , antè , & retro* esse oportet : assiduè nimis excubantes supra se ipsos , & omnem tam externæ , quām interioris , tamque præteritæ , quām futuræ vitæ suæ partem pervigili attentione observantes , nè quid in ea usquam seu vitii lateat , seu recti deficiat : prout affirmatum de illis à Salomone est , ubi scripsit , (*Prov. 28.*) *Qui inquirunt DEUM , animadvertunt omnia.* Et certè adeò iis necessaria hæc circumspectio est ; ut absque illa nullo modo suam possint integritatem , ac perfectionem tueri . Cùm naturales hominis ap-

O 5

petitus

petitus juxta DEI ipsius testimonium, (Genes. 8.) proni in malum ab adolescentia sua sint; nisi ratio illorum motibus continenter invigilet, quidnam expectari aliud potest, nisi tumultus, quem in lascivientium puerorum grege per magistri absentiam videmus existere: nempe ut, quemadmodum hi, ut prium à pædagogo se minimè observari animadver-tunt, totum sus déque ludum literarum permiscent, hac illac temere discurrentes, séque mutuò pulsantes, & libros alter in alterū con-torquentes; simili pacto ipsi quoque suo inge-nio relicti, cæco impetu erga bona sensibilia ferantur, quidquid rectorū sensuum in anima est, confundant, & totam inordinatis affecti-bus illius tranquillitatem perturbent? Nisi quòd redeunte in scholam Magistro subsidit confessim, quasi nunquam extitisset, illa fur-tim usurpata puerorum libertas: at motus perversi, qui dormitante interim, aut conver-sa aliò ratione, excitari solent in anima, non illico, ut ab ea animadvertisuntur, conquie-scunt, sed tumultuari diu pergunt, nec parvo seu tempore, seu labore, & conatu, industria-quæ opus est, priusquam componantur.

2. Quandoquidem igitur ad stabiles, & continuos in vita spirituali progressus necessa-

ria

ria adeò nobis est perpetua hæc nostri obser-
vatio: ad libere illam omni studio debemus,
tum ante operandum, circumspicientes, pro-
videntésque omnia, quæ ad plenam futuro-
rum opetum perfectionem requiruntur,
quod est *plenum esse oculis antè*; tum post opera
jam peracta, examinantes, num quæ bonita-
tis necessariæ pars in iis desit, quod est *plenum*
esse oculis retro. Tria porrò sunt tempora, qui-
bus spirituales viri ità se & præparare ad futu-
ra opera, & examinare post eorum effectio-
nem solent. Primum præstant manè, meri-
die, & in cuiuslibet actionis initio, alterum
verò meridie, vesperi, & in cujusque actionis
fine.

3. Incipiendo igitur à præparatione, ma-
tutini temporis propria, quæque aliqua esse
pars potest meditationis tunc peragi solitæ,
scopus, finisque hujus est, nos instruere, ad no-
vum diem *in sanctitate, & justitia coram DEO*
transigendum: nempe ad omnem in eo vel
minimæ culpæ labem vitandam, ad ordinarias
illius actiones quām perfectissimo ritu exe-
quendas, & ad illum assidua præcipuarum vir-
tutum exercitatione condecorandum. Ad
quæ tria DEI amor, & perfectionis studium
requirit, ut in singulas diei horas; sed præci-
pue

puè in ipso ejus exortu nos comparemus. Ad primum quod attinet, post excitatum in animo ardens desiderium, & universale propositum, traducendi illum diem procul omni contagione vel levissimi criminis; advertere nos oportet, quænam sint culpæ, in quas labi consuevimus, quæque earum occasiones usque ad meridianum conscientiæ examen suppeditare poterunt sive actiones, quibus fungemur; seu loca, quæ adibimus, seu personæ, quibuscum conversabimur: instaurando mox circa unamquamque peculiarium hujusmodi occasionum generale illud propositum, nihil, quod criminis affine, & invisum DEO sit, committendi.

4. Præmuniti hoc pacto adversùs culpas, quæ intrà matutinum tempus contaminare interiorem animarum nostrarum puritatem possent, sequitur, ut nos ritè comparemus ad obeundas perfectissimo modo illas actiones quæ justum aliquod temporis spatium depositunt, liturgiam putà, vel studium: decernentes primò generationem, quām exactissimè iis omnibus fungi, tum peculiarem modum stantentes, in earum unaquaque servandum, nè quid in ea desideretur perfectionis, seu quibusvis communiter honestis actionibus debit-

tæ,

tae, seu illius propriæ. Poterit ergo unusquisque ita secum differere: heus, post meditacionem, quid agam? ibo in templum divinæ rei gratiâ; quidnam ergo mihi curandum est, ut quam perfectissimè illam peragam, aut illi intersim? Debeo inter proficendum ad sacram ædem mecum reputare, quanto illares aliis quibusvis non humanis duntaxat, sed angelicis quoque functionibus dignitatis intervallo antecellat: & toto illius tempore cujuscunque alterius negotii cogitationes missas penitus facere: studens, veram Domini in aera præsentiam vivacissimæ fidei actu concipere, nec minori cum reverentia, fiduciâque illum intueri, quam si sub propria humanitatis suæ specie se videndum præberet. Et quoniam per id tempus infestari soleo vel à subsequentium actionum curis, vel ab iracundiæ motibus adversus eos, qui minus religiosè, & garrientes tantis mysteriis intersunt; peculiari diligentia utrumque ex membroratis defectibus prohibere à me nitar. Quid deinde? sacrificio perfunctus, cuinam rei operam dabo? huic scilicet, vel illi studio. Bene habet: huic quoque dare operam debeo, prout hominem decet, qui DEO uni velit penitus vivere, & prout factitabant Thomæ Aquinates, Bonaventuræ,

venturæ, Augustini : incumbens niempe ad studium, non ex naturali meo instinctu, sed ex mera placendi DEO causa: neque tam solicitus de felici eventu, deque celeri absoluzione mei operis, ut postea vel mœrore afficiar, si illud mihi parùm è sententia succederet, vel irascar, si fortè, dum illud maximè urgeo, repentina quapiam interpellatione turbarer; vel ægre inducar (præsertim si proximè absim ab aliqua illius parte absolvenda) imperfectum relinquere, & omnem unà cum calamo illius cogitationem super pluteo relinquere,, statim atque destinatum illi tempus effluxerit, & obedientiæ nutus aliò avocaverit: sed animo prorsus indifferenti, liberoque, & paratissimo in divina voluntate acquiescere, quomodo, & quandonam literarium eum laborem à me perfici illi visum fuerit. Hujusmodi itaque est ratio mihi circa studium servanda, & circa Horas Canonicas, quarum recitatio proximè successura est, quoniam pao me geram? cum diligentia, & attentione nimirum, quantam adhibere maximam potero: præmittens iis brevem elevationem mentis in DEUM, ac deinde illas recitans, in loco attentioni opportuno, scilicet in cubiculo, aut templo: in corporis situ, ad reverentiam

tiam

tiam, & pietatem composito, cùm DEUM
præsentem tunc alloquar: tempore, à distra-
ctionibus, & inturbationibus libero, ne-
que ità angusto, ut occupationes secuturæ
proximè mihi instent, anxiúmque me habe-
ant, & ad recitationem trepidam, ac solici-
tum cogant: absque vocis deum præcipitan-
tia, & confusione verborum; neque instar ho-
minis, qui amarulenta pharmaca raptim ex-
orbet, sed qui dulces potionis sensim degu-
stat. Similiter ratiocinari circa prandium
pergimus: statuentes illud capere, prout vi-
ros spirituales decet, sive inguvie, si victus
lautior sit, aut indignatione, & querimoniis,
si palato minùs arriserit; sed temperanter,
modestèque, & cum frugalitatis, ac mortifica-
tionis studio: adeò ut unumquodque ex obla-
tis ferculis, quasi eleemosynam à DEO nobis
missam, sumamus, & de unoquoque reliqui
aliquid faciamus; neque unquam ventris avi-
ditate metiamur modum vescendi, sed priùs
semper surgamus à mensa, quàm omnino sa-
tisfactum ei fuerit. Similiter circa familia-
rem cum sodalibus, atque amicis congressum:
providentes, nè ad illum ex mera genii pro-
pensione, sed ex honesto aliquo potius, &
supernaturali fine ducamur: nè libera nimis

con-

conversatione dissolvatur potius, quam modicè, utiliterque relaxetur animi intentio: nè aut justo facilius quæcunq; sociorum dicta, atque sensa approbemus, aut justo duriores in contradicendo illis simus: & præcipue, nè jocis mordacibus, dictisque parùm honorificis, & aliorum existimationem minuentibus fraternalam charitatem lèdamus. Similiter demum circa omnes alias quotidianas nostras actiones, quarum unusquisque propriam in mente ideam, atque speciem formare poterit.

5. Tertia præparationis matutinæ pars erit, observare, quibus modis solidas, & necessarias virtutes, sed in primis cum DEO conjunctionem mortificationem, humilitatem, patientiam, & charitatē erga proximos exercere possumus, earumque absolutissimam praxim usq; ad illius diei meridiem nobis præscribere. Et quidem, circa conjunctionem cum DEO, ad eam ritè exercendam, statuemus, toto ille tempore, quod inter alias, aliasque nostras actiones intercurrit, DEUM intueri, tamquam tota sua immensitate nobis præsentem: præterea nîl agendum suscipere, nisi ipsius amore impellente, & priusquam illud ipsi expressè obtulerimus: denique inter quidvis agendum mentem, & voluntatem in supremo illo

illo actionum nostrarum fine, atque scopo,
quām assiduissimè fieri possit, defixam tenere.
Quam in rem utile erit, certos quosdam sen-
sus, affectusque provisos ad manum habere,
qui faciliorem nobis perpetuam ejusmodi
cum DEO consuetudinem reddant. Hinc
porrò ad mortificationem transeuntes, decer-
namus, quoscunque insitos nobis à natura ap-
petitus ubique oppugnatum ire: hæc, atque
illa speciatim oblacamenta corpori denega-
re, hásque, & illas contrà pœnas eidem infli-
gere: nulla in re mentis, atque sensuum curio-
sitati indulgere: insectari assiduè, & quan-
tum fieri potest, prorsus extinguerem voluntä-
tem propriam: quidquid postremò naturali-
bus nostris desideriis, & appetitui contrarii
acciderit, gratanter accipere, déque eo, tan-
quam de prospero, atque optatissimo eventu,
ketari. Humilitatis verò praxis definienda,
& in diei decursu exequenda, illos ejusdem
actus continebit, qui suprà suo loco indicati
sunt: nimirum nullo in pretio nos ducere, &
quemvis mortalium, tamquam nobis potio-
rem, reverenter, submisséque intueri: omnei
apud homines nostri aestimationem, & fa-
mam, quoad ejus fieri potest, vitare, aut si vi-
taril penitus nequeat, invitissimo animo pati:

P

qua

quæagenda sunt libere, & sīnē ullo respectu,
 ac timore sinistri de nobis aliorum judicii
 agere: imò ea cæteris libentiūs, quorum cau-
 sā fieri pōtest, ut nostri æstimatio decrescat:
 & quasvis nostri contemptūs occasiones in
 votis habere, hilari eas vultu cum se offe-
 runt, amplectendo, tamquam singularia
 propitiæ fortis munera, eōsque veluti amicis-
 simos, & optimè de nobis meritos, peculiari
 benevolentia prosequendo, qui despiciatui, ac
 ludibrio nos habent. Neque minùs sollicitos,
 attentosque esse nos convenit, ut animum in-
 victâ patientiâ obfirmemus, prævidendo occa-
 siones, quas illius exercendæ subministrare
 illo die nobis poterunt partim molestiæ, inju-
 riæque, quibus ab aliorum vel negligentia, vel
 procacitate afficiemur; partim vitia eorum,
 inter quos vivimus, morésque, & sensus à no-
 stris diversi; partim casus fortuiti, qui ex trans-
 verso incurrentes, nostræ cuiquam destinati-
 oni, & voluntati impedimentum afferrent.
 Hæc omnia, inquam, eminus providendo, si-
 mūlque reputando, quibus armis præsidii-
 que uti nos oporteat, ut in medio deinde cum
 ipsi certamine, perfectam mansuetudinem,
 animique tranquillitatem servemus: quid scilicet
 tunc mente agitare, quos actus voluntatis

con-

concipere, quam in speciem vultum compo-
nere, quæque verba, & quo vocis sono pro-
ferre. Futura postremò prædictarum virtu-
tum praxi ità in antecessum decreta, reli-
quum erit, ut ad omnimodam erga proximos
charitatem simili nos studio paremus; pro-
spiciendo primum, nè quid eis contrarium à
nobis fiat: cuiusmodi foret, quemquam ho-
minum parvipendere, & fastidire: perperam
judicare de aliquo, cuius incerta sit pravitas,
aut illa ei facta criminis dare, quæ aliqua ratio-
ne defendi, aut saltē erroris loco haberī, bo-
næque fidei, & rectæ mentis nomine excusari
possunt; improborum honores, & commoda
ægris oculis, ignominias verò, & sinistros
eventus læto vultu intueri: averso ab iis ani-
mo esse, qui flagitiis quidpiam commiserint,
aut contra nos iniquius se gesserint: contem-
ptim, & superbè aliquem compellare, vel ab-
sentium vitia, & malefacta, esto cæteroqui no-
tissima, præter causam commemorare: & ali-
quid demum facere, unde aliis molestia pro-
venire, atque incommodum possit. Cui a-
ctuum vitandorum animadversioni, succede-
re confessim debet præparatio ad alios, cha-
ritatis proprios, juxtāque illius scita exerce-
dos; quales sunt: honorificè de omnibus

sentire, eorum vitia, quoad licet, excusare, & minuere: quidquid iis seu prosperi, seu adversi evenerit, non dissimili affectu, ac si nostra res foret, spectare: amoris, & reverentia signa in quovis congressu iis exhibere: eorum causam, defensionemque, dum absentes inique arguuntur, suscipere: quæ honoratiora, & magis commoda sunt, ubique illis cedere: justis eorum propensionibus quacunque in re obsequi: nihilque opis cuiquam denegare, quam petet, vel cuius indigentem videbimus, et si ita illi subvenire, labori nobis, atque incommodo esset. Ubi adverto, in statuenda exercitatione hujusmodi actuum utile admodum fore, si eam specialius dirigamus ad certas personas, erga quas, seu ob naturalem morum, geniique disceptantiam, seu quia dicto, aut facto quopiam nos læserunt, minus propensi sumus.

6. Talis ergo est inutina vita à nobis illo die traducendæ ratio, prima nempe inter illas, quæ futurum tempus prospiciunt. Et talis quoque altera, cui pomeridianum attribui: utpote quæ nullo alio discrimine à priori distinguitur; nisi quod illa pro objecto suo habeat, quid vitandum, quidve, & quomodo agendum sit à diei exortu usque ad meridiem;

hæc

hæc verò circa reliquum diei tempus versatur
quid nempe à meridie usque ad ultimam ve-
speram vitare , quidve , & quomodo agere
oporteat. Neque alia de causa à me distin-
guuntur ; nisi quia per hanc divisionem mi-
nus materiæ considerandum utraque habet ,
quod adjumento est , ut exactius , faciliusque
illam prævideat , & minori temporis interval-
lo ab objectis suis distet , quod ad efficacius
obtinendum finem conducit. Quapropter
nihil mihi ulterius de secunda hac temporis
observatione addendum superest : nisi posse
illam intrà meridianum conscientiæ examen
commode inseri : adeò ut post perlustratam ,
expensamque , quantum satis est , vivendi ra-
tionem matutinam pergamus porrò illam
iidem prævidere , quam deinceps usque ad
diei exitum à nobis servari par est.

7. Ac distinctius aliquantò agendum su-
perest de tertia , hoc est de proxima , & peculi-
arie ea prævisione , quam post duas superiores
à spiritualibus viris in exordio cujusque ope-
ris instaurandam denuo esse dixi. Quæri si
quidem potest , quantum temporis ei impen-
di , quémque modum in ea sequi expeditat ? Et
ad tempus sanè quod attinet , dico : si diurna
niminum sit , parùm fore diurnam : neque

enim communiter fieri posse, ut, qui eam longius producendam existimant, ante quodvis opus perpetuo iterare illam pergent. Nè igitur paucorum dierum, sed totius vitæ exercitium sit, talem esse illam convenit: ut etiam à negotiosis, & occupatis hominibus commode frequentari queat. Qualis utique erit, si cursim, obiterque fiat, nec prolixiori tempore quam quo recitaretur symbolum Fidei, vel quo à prioris actionis absolutæ loco ad alterius illam excepturæ locum transitur: putà à templo, ubi sacrificatum est, ad cubiculum, ubi studio vacabitur: exceptis tamen nonnullis majoris momenti actionibus, ad quas rite obeundas, uti studiosior, sic etiam diuturnior præparatio requiritur.

8. Circa modum vero, quo fructuosior sit, quatuor hæc servanda esse censeo. Primum: ut operis quidpiam aggressurus, distinetè animadvertat tum ipsummet opus, tum tempus, quod ei impendere intendit; cogitans exempli gratiâ: semihoræ spatio quiescam, per duas horas Theologiæ studiis operam dabo. Secundum: ut noverit, expressèque advertat proximum, & particularem finem, ad quem illa actio, quasi ad mensuram bonitatis sibi propriè convenientis refertur; qualis

ver-

verbigratiâ in sacra meditatione est, DEO intimius conjungi, & novas, májorésque ad serviendum ei vires sumere: in examinanda conscientia, delere animæ labes, quæ eam minus gratam DEI obtutibus reddunt: in confessionibus audiendis, expiare à criminibus fontes, inque pristinam cum DEO amicitiam reducere: studendo tam familiarem hujus animadversionis sibi usum parare; ut, quoties de ulla ex ordinariis suis actionibus cogitat, toties finis simul, qui propriè ab eadem respicitur, ipsius menti obversetur. Quam in rem plurimùm conferet, si prædictas actiones obiturus, earum unamquamque sibi representare assuescat, non confusè, & juxta merum nomen, quo promiscuè appellatur, sed distinctius, & secundùm peculiarem eam bonitatem, cuius gratiâ expeditur; adeò ut ante meditationem non dicat: eo ad meditandum; sed potius: eo ad mentem penitiùs conjungendam cum DEO, fervidiorémque illius charitatem in meo corde excitandam: neque horâ prandii: eo ad vescendum; sed enucleatiùs: eo ad reficiendas vires, quo iis integris possim DEO melius servire: & similiter in alterius cujuscunque actionis procinctu. Tertium: ut sedula circumspectione prævidat

deat tum culpas, in illo opere committi solitas, sibique accuratius vitandas; tum multiplicem, variamque honestatem, cuius respectu idem opus amari, & suscipi potest; tum peculiares virtutes, quarum ibi exercendarum se praebedit occasio; tum modum, quo in agendo uti debeat, ad reddendum, quod acturus est, in quovis tam externae, quam interioris bonitatis genere, quantum maxime fieri possit, eximium, perfectum, & DEO gratum: modum scilicet, quo id agebant, vel agerent Caroli Borromei, Ignatii Lojolæ, Philippi Nerii, Francisci Salesii, & alii sanctitatis præstantissimæ viri: quóque ipse metuens à se actum in supremo vita exictu cupiet. Quartum: ut post ejusmodi animadversiones decernat, velle se id agere ex puro DEI, & virtutum, quæ ibi occurrunt, amore: nec passurum, ut in ejus actione quidquam labis vel minimæ interveniat; seu aliquid perfectionis desideretur: DEUM postremò obsecrans, totius sanctitatis authorem, ut opportunis auxiliis suam roboret voluntatem, rectam illam quidem, sed nimis infirmam, si propriis dunt taxat inniti, ac tueri se viribus debeat.

9. Et quamvis difficile admodum videatur, ut prædicti actus fructuosè, hoc est cum pio

pio animi sensu exerceri possint, intrà illud tempus tam breve, quod iis supra assignavimus; si quis tamen initio aliquid conatus, studiique ad sedulam illorum exercitationem adhibeat; non multo tempore interjecto, hanc sibi perquam facilem reddet. Præferim verò, si in matutina meditatione, & mediano conscientiæ examine animadversiōnibus paulò ante explicatis se se comparare ad eam pergit. Et multò adhuc magis, si (quod omnibus faciendum suaserim) totum per dies aliquot consuetæ meditationis tempus insumat, circa modum, ordinarias actiōnes ritè obeundi: uno nimirum die circa modum quām maximè opportunum, divinæ rei faciendæ; altero circa similem modum studiis vacandi, atque ità deinceps; cùm enim, quidquid ad singularum perfectionem attinet, peculiariter ibi, & per otium lustraverit; haud multo jam tempore, & labore indigebit, ut singulis diebus illud idem summatim recogitat, & memori rursus mente percurrat.

10. At nequaquam hic meta, & quies animæ est, quæ DEUM ex toto corde amans plū semper ei placere, & perfectissimo quovis modo servire expetit. Parùm illa arbitratur *plena esse oculis antè*, ratione attentissimi

studii, quo ad futuras actiones cum omni perfectione obeundas, remotius primò, & proximè rursus se comparat; nisi *plena* item sit *oculis retro*, ratione accuratissimi examinis ad quod singularium perfectionem revocat: tum statim ac unaquaque earum est peracta, tum tempore iis simul omnibus recognoscendis statuto. Hinc adeò, præter assiduas supra quosvis tam interiores, quam exteriores suos actus excubias, nè quid pravi, aut minus recti in animam furtim irrepant; ubi primùm aliquo opere perfuncta est, veloci, sed attento, & sollicito mentis obtutu usquequaq; illud re legit, quatuor hæc specialiter in eo observans. Primum, an ea puro divinæ voluntatis respectu, & finè ulla alterius finis, seu vitiosi, seu saltē profani, ac terreni mistura, illud egredit. Secundum, an versata in eo fuerit, seu cum nimiâ adhæsione animi, eò quod ultro à se electum, congruensque suis propensionibus foret; seu negligenter, & cum tædio, quia illud præter suam voluntatem alieno jussu adacta susceperat. Tertium, num quos illius tempore humilitatis, mortificationis, & charitatis fraternæ actus, quorum cæteroqui dabatur occasio, per ignaviam omiserit, minusque assidua, & diligens fuerit, in retinen-

da

da DEI præsentis memoria. Quartum, an etiam culpæ aliquid admiserit, vel occupando in otiosis cogitationibus mentem, vel inordinatos iracundię, mœroris, & cupiditatis affectus fovendo, vel dicendo, atque agendo, quæ à perfectæ rationis norma abhorrerent. Cui examini brevem confessim, sed vivacem DEI laudationem pro bonis, & sui objurgationem, pro malis in eo opere animadversis, subjunxit.

II. Neque verò quisquam objiciat hasce tot, & tam crebras, & minutas observationes ideam perfectionis esse, quæ vix in usum deduci ab hominibus, etiam omnino feriatis, & vacantibus queat, nedum ut proponenda communiter sit negotiosis, & inter assiduas occupationes viventibus. Contrarium quippe evincunt complurium DEI servorum exempla, qui licet minimè otiosi, eas nihilo minus pro stabili ac perpetuo quotidianæ virtutæ exercitio habuerunt. Qualis inter alios fuit, celeberrimus sanctioris vitæ magister, Ludovicus de Ponte, qui, ut in vitæ illius actis proditur, certam sibi legem præscripserat, nihil suscipiendi operis, quin illud & ante aggressionem coram DEO circumspiceret; & peractum, ad examen revocaret. Qualis item

D. Ignatius

D. Ignatius Lojola, qui nullam diei horam sinebat effluere, quin accuratissimè recognosceret, quidquid brevi illo temporis, spatio cogitatum, dictum, factumque à se fuerat: animam suam toties novans, atque expoliens, cum nova semper voluntate, melius transgendi horam sequentem. Quamobrem nequaquam committendum nobis est, ut à fructuosisima hac praxi cessemus, tanquam si cum negotiorum, & actuum multiplicitate nequiret conjungi; sed pro certo potius habendum, si perrexerimus studiosè, gnaviterque ad aliquod tempus eam frequentare, tantam nos illius facilitatem, consuetudinemque assecuturos, ut futurū nobis in promptu dein sit, quam celerrimè, & uno penè obtutu perlustrare, quidquid boni, aut mali in quavis etiam longissima actione intervenerit. Frasertim quòd, si aliquam ex proximis, & peculiaribus hisce operum peractorum animadversionibus, præ urgentium occupationum turba, atque instantia, prætermitti interdum, vel tumultariè usurpari contigeret; non multò post supplere hunc defectum licet, in duabus conscientiæ examinibus, quorum, ut initio hujus capituli dixi, alterum meridie, circa actiones matutinas, alterum noctu ante

ante cubitum , circa pomeridianas , per horæ quadrantem institui à viris spiritualibus solent : & de quibus, ad præsentis complemen- tum materiæ, dicendum iam mihi aliquid superest.

12. Ultimum igitur studium interioris puritatis conservandæ, augendæque in eo possum est, ut bis quotidie , in media nimirum , atque extrema diei parte , vita omnis recognoscatur, ab altero ad alterum tempus traducta. Circa quæ prolixiora , & plurium simul actionum examina, quatuor hæc, brevem aliquam eorum praxim cupienti , præscripsi- rim. Primum, ut suo illa tempore initurus , præsentem DEO se constituat, propositum quam perfectissimè illi serviendi instauret, luménque ab eo flagitet ad ea discernenda, quæ prædicti sui finis, & propositi gratiâ, emendare in seipso opus habeat. Secundum, ut omnes ab ultimo examine ad id usque tem- pus actiones singillatim percurrent , diligenter observet, seu verius loquendo , in memo- riā sibi revocet, quas in unaquaque earum culpas consciverit, quosque actus virtutum exercere per socordiam neglexerit ; in qua observatione, si eam juxta dicta paulò ante post singulas actiones ritè adhibuerit, non mul-

multum immorari, & laborare opus erit.
 Tertium, ut noxas, & defectus (quod semper
 homini non lusco eveniet) in illa vita sua
 parte reprehendens, pudore afficiatur, venia
 am à DEO humiliter petat, seriamque, melius
 se in posterum cum illius adjutorio gerendi,
 voluntatem concipiat. Quartum, ut quo-
 niam minor ferè est actionum hic recogno-
 scendarum numerus, minusque curæ, ac tem-
 poris postulat; nè in prædictis tribus exerci-
 tiis, quibus cæteroqui omnis continetur no-
 cturni examinis summa, totum horæ quadran-
 tem insumat; sed quantum satis est, in iis de-
 moratus, aliquid semper temporis præpara-
 tioni, ad posteriorem diei partem sanctè exi-
 gendum seponat: eodem pacto ad pomeridi-
 ani temporis sanctitatem se comparans, quo
 juxta institutionem supra traditam, in medi-
 tatione usus fuit, ut se ad matutinum
 tempus probè, & sanctè exigendum,
 pararet.



CA-

CAPUT IX.

De tertio instrumento, quod
est sancta desideria, & semel con-
ceptam DEO penitus serviendi
voluntatem crebro instaurare.

In situm à natura est omnibus, qua
impulso violento, & propensi-
nibus suis contrario moventur,
lentiore paulatim, & lentiore
motu ferri, donec ab eo prorsus deficiant:
quamobrem ut hic duret, qualis initio fui
celer, & validus, non sufficit semel eum ex-
citasse; sed necesse est, ut aliis novisq; impulsi-
bus excitetur. Jam verò hominis animam,
mortali adhuc corpore inclusam, tota men-
te, ac voluntate in DEUM ferri motus est
cum terrenis vitiæ illius naturæ propensi-
nibus pugnans, neque aliunde, quam à su-
pernaturali aliquo impulso cieri potest; qua-
propter, licet videatur persæpe rapidissimo
impetu ad cælestè illud suum objectum assur-
gere, & sensibilium quarumvis rerum imme-
mor, nihil præter ipsum anhelare, nullo nisi
ipsius desiderio & amore succendi; nihilo-
minus, quia tales motus nativæ illius ad ima-

pro-

pronitati adversantur , nisi ab altiori illo principio, à quo primùm in sublime acti sunt, nova identidem virium supplementa recipiant, quantò ulteriùs progrediuntur, tanto magis semper solent languescere , quoad contrario naturæ nisu penitus prævalente, cursum retro avertant, & infelicem animam , post breve in superna iter , humi rursum depontant.

2. Cùm igitur fieri minimè possit, ut quisquam vel magnos processus in perfectionis curriculo habeat, sinè ardentí desiderio , & certa voluntate totum DEO se se impendendi ; vel tales affectus diu in corde retineat, nisi eos sedulò, & frequenter instaurare contentat ; manifestò hinc consequitur , quantæ nobis curæ est amplior usque, & amplior in perfectione progressus , tantæ itèm debere esse studium reiterandi , quàm creberrimè , effacissimèque id genus desideria , & decreta. Adeò ut illa , nihil præter DEUM in pretio habendi, & amandi, nihilque, quod DEO placeat , non promptissimè efficiendi voluntas , qua illi servire cœpimus , nunquam deficiat ; aut minuatur; sed in quavis temporum, locorum, occupationum, socrorum , atque eveniuum diversitate, solida, integra , suique simili-

lis perseveret, imò etiam ad majora semper proficiat ardoris, viriūmque incrementa, qualem esse D. Antonius in spiritualibus suis alumnis volebat: commendans iis etiam, atque etiam, ut, quantum animi, vigoris, & alacritatis inter divini famulatūs primordia olim sensissent, tantumdem, imò & amplius, in quolibet dierum subsequentium pergerent sentire. *Hoc sit primum cunctis in commune mandatum (ajebat ille) neminem in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem debere semper augere, quod cœperit.* Quod etiam iisdem paulò ante suum obitum, quasi supremæ voluntatis suæ testificationem, in hæc verba repetiit: *Ego quidem, Filioli, secundum eloquia scripturarum, patrum ingredior viam. Sed vos, o viscera mea, moneo, nè tanti temporis laborem repente perdatis. Hodie vos religiosum studium arripiisse arbitremini, & cœptæ voluntatis fortitudo succrescat.* Hæ porrò spiritualis fervoris, studiique renovationes plurim sunt temporum: aliæ nimirum quotidianæ, aliæ hebdomadariæ, aliæ menstruæ, aliæ annuæ, & aliæ demum cuilibet tempori aptæ, quo extraordinaria, & peculiaris urgeat earum necessitas. Déque illis juxta ordinem, quo commemoratae sunt, nos hic agere ingredimur: tamquam

Q

quam

quam de exercitio mirè efficaci, imò etiam necessario, ad æquabiles, & perpetuos in di-
vino famulatu progressus.

3. Primæ, tanti inter cæteras omnes mo-
menti, ut si rite peragerentur, vix aliâ ul-
lâ opus foret; ex sunt, quibus quotidie tum
primo manè, tum meridie, tum vesperi, tum
initio particularis operis uti debeimus, ad no-
vum toties in perfectionis via resumendum
vigorem, ac spiritum. Quemadmodum igi-
tur sol, ab ortu consurgens, reiterat quovis
manè nihilo minus post tot sæculorum curri-
cula indefessus, atque alacer, quām si tunc pri-
mò auspicaretur, diurnum suum iter; sic
quisque etiam spiritualium virorum debet
sub diei exortum hilari animo è strato con-
surgere, & *exultare ut gigas ad currēdā viam:*
revocando in memoriam, novum hunc sibi
diem concedi, non ut illum juxta genii sui
propensiones in præsentis vitæ bonis aucu-
pandis expendat; sed ut in omnibus volun-
tatem DEI exequens, cum terrenis cupidita-
tibus continenter depugnans, & quām plu-
rimos virtutum actus exercens, sempiternæ
beatitatis suæ censum novis lucris amplificet:
ac proinde tunc idoneas habiturum se causas,
inter faustissimos vitæ dies eum recensendi,

non

nōn si perfecta in eo utatur valetudinē, plē-
nam rerum suarum approbationem ab homi-
nibus referat, & omnia sibi ad votum succe-
dant; sed si illam sanctē traduxerit, & peram-
plam offerri ab eo sibi viderit patiënti, hoc
est nova apud DEUM merita cumulandi ma-
teriem, seu causā eventuum, qui consiliis suis
adversantur, seu per dolores corpus crucian-
tes, sive per injurias, per quas inhonoratur.
His commemoratis, reliquum erit, ut pristi-
nam perfectè DEO serviendi voluntatem
quām efficacissimē instauret, statuens apud se
ipsum, nihil eo die, præter DEUM, quæque
DEUS vult diligere, nusquam alibi, nisi in
actibus DEO placitis occupari, nihilque im-
pensiūs quærere, seu libentiūs amplecti, quām
res nativo suo sensui contrarias: utpote quæ
& locupletiorum in cælo quæstuum occasio-
nem suppeditant; & quantò à sui amore ma-
gis avellunt, tantò habiliorem fingunt ad
perfectam conjunctionem cum DEO.

4. Dicat itaque, sed ex intimo animi sen-
si: euge, surgamus strenuè, & alacriter! DE-
US hunc nobis diem novum largitur, ut trans-
igamus illum *in sanctitate, & justitia coram ipso.*
Ita planè, hac una de causa illum nobis largi-
tur: fixūmque, ac deliberatum mihi est, hoc

uno illum pacto traducere; & quidem exactius, quam illum huc usque alium traduxerim. Hic certe erit dies maximè omnium, quos retro egi, à culpis integer, meritorum locuples, insignis virtutibus, divino amore flagrans, sanctusque, & DEO placens. Nihil mihi habendum præ oculis, amandumque in eo est, quam DEUS, ac sanctissima ejus voluntas. Ideoque per totum hunc diem cavebo, tamquam à peste, & pernicie, ab omni sive externo, sive interiori actu, qui vel levissimè ipsi queat displicere. Quidquid facendum mihi erit, ex integerrimo ejus amore, cùmque summa accuratione & præstantia facere enitar. Nulla exercendæ seu humilitatis, seu mortificationis, seu charitatis erga proximos, seu alterius virtutis se præbebit occasio, quin eam cupidissimè arripiam. Sed in primis conabor, tam secundum mentem, quam secundum voluntatem DEO semper adhærere, eum ubique præsentem aspiciens, quæcumque agam, ipsi offerens, de singulis, quæ obversantur, atque eveniunt, cum eo differens, ab eoque uno meorum omnium sensuum, judiciorum, atque affectuum regulam sumens. Hæc profectò unica est ratio, præsentem diem rectè, utiliterque exigendi. Hæc

vitæ

vitæ illa species , quam toties inter orandum
palam agnovi , & fassus sum , cuicunque alteri
æquitate , sanctimonia , & jucunditate ante-
cellere . Hæc , juxta quam in morte , quæ for-
san è propinquo imminet , quemvis dierum
lætabor traduxisse . Nè multis: hoc pacto , si-
ve humanæ , seu divinæ rationes spectentur ,
vivendum mihi est : & hujusmodi vitam ho-
die capessere , quæcunque demum difficulta-
tes se objiciant , certissima destinatione apud
me statui : incipiendo à meditatione , quam
aggressurus jam jam sum , & studendo , in ea at-
tentius , fructuosiisque versari , quām versa-
tus in ulla alia hactenus fuerim . *Ego dixi nunc*
capi. Ni mis ah , nimis distuli vivere , prout
verum , & fidelem DEI famulum decet . Stat
præcisa omni mora id nunc auspicari , & ità ,
ut , quod auspicatus hodierno die sim , nullo
subsequentium dierum non prosequar . Ne-
que deterreor , quia pluries aliàs cum magnò
animi ardore hoc idem aggressus , paulò post à
grandibus cœptis per ignaviam desciverim .
Multa die quoipam eveniunt , quæ priorum
dierum nullø evenêre . Et talem , certa fidu-
cia mihi est , itidem fore mei hujus propositi
eventum . Tu modò , DEUS optime maxi-
me , unica spes , & fortitudo tibi servientium ,

Q 3

præ-

præsentissima illa ope mihi adfis , qua invi-
ctam adversùs mortem , & atrociores iosa
inorte cruciatus , tot imbellium virguncula-
rum teneritudinem præstitisti . Vides enim
vero , nîl terreni lucri , sed unum duntaxat
tuum obsequium , amoréinque hìc à me ex-
peti . Quidni ergo in voluntate exequenda ,
qua nullam ego possum justiorem , magisque
tibi gratam concipere , corrobaturus imbecil-
itateim meam sis ? Ah facies , procul dubio
facies : & ego , quamvis per me nihil possim ,
omnia per virtutem tuam potero . Tu es for-
titudo mea , firmamentum , & refugium meum : qui
doces manus meas ad prælium , & posuisti ut arcum
æreum brachia mea . In te , Domine , speravi : non
confundar in æternum .

5. Quantumcumque tamen , & efficax vi-
deatur DEI servo hæc voluntas , qua post bre-
vem nocturni soporis quasi obitum instaura-
vit recentis vitæ suæ cursum ; non debet in
ea omnino acquiescere , neque satìs illâ instru-
ctum ad sui finis assecutionem se se arbitrari ,
nisi pergit conceptum à se charitatis ardo-
rem fovere , & ad pristinam rursus , majorém-
que adhuc vim excitare , tum ante opus quod-
vis , tum in geminis conscientiæ examinibus ,
quæ peragere , alterum manè , alterum vesperi
folet .

folet. Et instauratio quidem singulis operibus ab eo præmittenda nihil erit aliud, nisi reiterare circa quodvis peculiare opus, in cuius procinctu est, illa voluntatis decreta, quæ manè circa suam illius diei vitam concepit; adeò ut ab eadem quām maximè DEO placendi voluntate impulsus, decernat juxta rationem capite antecedenti propositam, opus illud, à se aggrediendum, majori cum perfectione peragere, quām operatus unquam alias sit: purior nempe à criminibus, attentior ad exercitationem solidarum virtutum, penitiusque DEO adhærens; quām vel in illo eodem, vel in alio quovis opere ullis retro vitæ temporibus fecerit: cum eo diligentia, & sedulitatis conatu, quo illud ageret, si ex divina revelatione certus foret, illo opere expleto, nullum ipsi aliud vivendi, & operandi tempus restare: DEUM orans postremò, ut quemadmodum hanc sibi voluntatem infudit, sic & idoneas ad eam ritè exequendam vires adjiciat. Instauratio autem, duorum examinum propria, id ab ipso requirit, ut animadverat, quām exactè antecedentium examinum decreta actu impleverit, matutina nempe in primo, & pomeridiana in secundo: tum reperto, negligentiorem alicubi se fuisse, peculi-

Q 4

culi-

culiares delicti illius causas indaget: ac postremò eadem rursus decreta, tum omnia, tum præsertim, quæ minus accuratè servavit, majori cum ardore animi in futurum tempus concipiat.

6. Nec dissimilis quotidianæ huic duorum examinum renovationi, hebdomadaria erit: cui nullum congruentius assignari posse tempus videtur, quam dies, quo Eucharistia sumitur, vel si quis hanc pluries in hebdomada accederet, Dominicus dies: nisi quod die illa, & vespera præente, diutius, majorique studio instituenda examina, & reiteranda erunt proposita, in quibus ea præcipue consistit. Adeò ut qui tunc renovare interiorem animi sui habitum vult, pridie per horæ circiter spatum perpendat, quoniam pater septeni exeuntis hebdomadæ dies traducti à se fuerint, quantum ad culparum fugam, ad exercitationem virtutum, ad puritatem propositi in operando, & intimam conjunctionem cum DEO, meliusne, an deterius, quam alii superioris hebdomadæ: & si deterius; num omnino, an secundum aliquam tantum partem: & undenam id vitii originem duxerit: num ex nimis libera cum hominibus consuetudine, an ex immodico profanæ alicujus

occu-

occupationis studio, an ex valetudinis imbecillitate, alióve casu: & quandonam, in medióne scilicet, an in fine hebdomadæ cœperit: & num prompto statim remedio occursum ei fuerit; an neglecta ejus curatio, permisumque, ut in sequentes item dies incorrectum, ac fortè etiam novis auctum incrementis, exierit. Ubi verò perspexerit, quid perperam gestum, & ubi emendatione sit opus, justum de præterita sua incuria dolorem, & consenteat huic voluntatem concipiat, melius auspicandi, transigendique subsequentem hebdomadam: & iis specialiter providendi, quorum causâ factum est, ut elapsam negligentiū traduxerit: concludens hos actus sacra exomologesi, & voluntaria aliqua corporis castigatione, præter multam, quæ à sacramenti Pœnitentiæ administro sibi fuerit imposita. Denique totam insuper sequentis Dominici diei meditationem ponat, in comparando se ad emendationem prædictam: & Eucharistiâ ritè suscepâ, Christo Domino intrâ se præsenti, quâm enixissimè potest, suæ hujus voluntatis successum commendet: resumens post hæc, cum novo animi vigore, & alacri vitæ sanctius in futurum ducendæ fiducia,

cia, ordinarios suos actus, perinde quasi tunc
primum famulari DEO inciperet.

7. Sed, quoniam diu conservare vivax
illud, & efficax DEO perfectè serviendi pro-
positum, in quo fructus penè omnis dictarum
renovationum consistit, non ita facile est,
nisi quis subinde ab hominum consuetudine,
& rerum externarum tumultu secedat, ad illa
quietius ruiminanda, mentique altius impi-
menda cælestis Philosophiæ placita, ex quo-
rum vivida apprehensione illud tanti mo-
menti propositum in anima oritur; necesse
erit, præter renovationes jam dictas, duabus
aliis, quarum initio hujus capitinis mentionem
fecimus, unâ menstruâ nimirum, annuâque
alterâ uti: feligendo in usum prioris unum
quovis mense, vel ultimum scilicet, vel quem-
piam alium ex maximè feriatis, & vacantibus
diem; pro altera verò denos, aut saltēm octo-
nos quotannis dies, eósque itēm liberos, & si
fieri posset, alicui ex celebrioribus anni Fe-
stis, putâ Nativitati, Resurrectioni Servatoris
nostrí, aut Spiritûs sancti solennibus prævios.
Circa modum harum renovationum duo mo-
nenda occurunt. Primum: die, seu diebus
ad ipsas sepositis abscedendum esse à qui-
buslibet tum rerum profanarum curis, tum
fami-

familiarium, & sociorum commerciis, quò totus in sacro illo otio æternis suæ animæ rationibus vacet, tamquam si nihil præter hoc negotium in vita haberet, nec aliis in mundo præter DEUM, atque ipsum existeret. Quanto enim se penitus à terrenis curis removerit, tanto fructuosiùs in propriis illius temporiis exercitiis mentem occupabit. Alterum: præcipua hujuscemodi exercitiorum tria esse: sedulam scilicet piorum librorum lectioni operam dare, perattenta rerum divinarum meditatione, ad ternas, vel quaternas in die horas animum pascere, ac denique, juxta formam paulò ante propositam, secum dispicere, quonam pacto illum mensem, vel annum traduxerit: iterando majori cum efficacia priora decreta, à quibus opere implendis aliquatenus se viderit descivisse: statuēdo, quibus uti peccularibus præsidiis debeat, ut eadē facilius, atque exactius in posterum servet, & prodeat ex illo spirituali secessu, instar hominis penitus novi, cum ingenti animo, & firma spe, perfectius sequenti mense, aut anno vivendi. Ubi notandam diligenter existimo firmam illam spem melioris successus, qua dixi deberem ipsum indè egredi, esse conditionem majoris, quam permultis videatur, momenti. Nam

CON

contingere facilè potest, ut animadveriens quispiam, minus se, quam sperabat, ex his renovationibus frugis referre, quatenus eas, præsertim quotidianas, vel usurpare interdum negligit, vel remisso, & oscitanti animo usurpat: ideoque pluribus jam hebdomadis perfectæ charitatis studium in se admodum elanguisse, & hodierno die languidius, quam hesterno esse; incipiat de propositi sui eventu diffidere: quantoque de hoc plus diffidit; tanto segniorem illi operam navet: cuius segnieti causâ magis, ac magis in eo divinæ charitatis fervor decrescat: & hoc decrescente tanto magis diffidentiæ torpor augeatur: non absque periculo, nè miser, dum tot suos pro perfectione divini amoris conatus cadere in irritum cerhit; post aliquod tempus si minus expressè, saltèm practicè apud se statuat, opus eam esse suis viribus majus, omnemque illius demum uti spem, ita etiam cogitationem abjiciat. Quapropter cavendum nobis maximopere est, nè propter ulla nostræ imbecillitatis exprimentia, animos in spirituali via despondeamus; sed post quotcunque lapsus, nova semper cum alacritate surgamus: & pro eo, ut nos diffidentiæ permittamus, quanihil nostro profectui potest esse adversarium

ma-

magis; configiamus potius ad postremam
spiritualis fervoris instaurationem, quam, ve-
luti incerti temporis, post alias ordinarias su-
prà nominavi, & hìc tandem describere ag-
gredior: minimè dubitans, quin si his auxiliis
utemur; pro nostra in iis adhibendis sedulita-
te, vel omnino assecuturi eorum finem simus,
vel ad illius perfectionem propius semper,
propiusque accessuri; vel (si parcissimè fru-
ctus respondeat) saltè in minus longè ab hac
remansuri, quam si eâ uti penitus neglige-
remus.

8. Præter renovationes igitur quotidiana-
nas, hebdomadarias, menstruas, & annuas, de
quibus actum jam est, una adhuc restat, nullius
certi temporis propria, sed tunc solummodo
instituenda, cùm extraordinaria, & peculiaris
illius urget necessitas: nimirum quando ali-
quis, eò quòd longiusculo tempore quotidiana
DEO perfectè inserviendi, decreta vel in-
staurare omiserit, vel frigidè, & consuetudi-
nis tantùm causâ id fecerit, experitur se in
perfectionis studio remissum, facilem in cul-
pas prolabi, segnem ad exercitia virtutum,
terrenis rebus inordinato affectu adhären-
tem, orationique, & amicæ cum DEO con-
suetudini minimè idoneum: neque hic animi
habi-

habitūs, & vivendi tenor patiorum dierum
res est; sed plures iam hebdomadas tenet, & de-
mense in mensis progreditur, nō modò nul-
lum ostendens emendationis initium, verū eti-
am timendi occasionem præbens, nè si con-
firmari sinatur, in consuetudinem vix deinde
evelendam abeat. Quid tunc DEI servum
facere oportet, si se ita affectum cognoverit?
Remedia nimis præsenti suo statui quām
maximè opportuna prospicere debet; neque
verò opportunius facilè aliud inveniet, quām
si uno, alterōve, aut pluribus diebus in hanc
unicè curam sepositis, attentè expendat, quām
gravis, & periculosus sit ille animi morbus: se-
riam ab eo se purgandi voluntatem concipiat,
solerter inquirat, unde originem duxerit, pro-
priamque nactus mali radicem (quæ potissi-
ma totius curationis pars est) peculiares illius
extirpandæ rationes decernat: adeò, ut, si
deteriorem suum statum ex inquieta terreni
alicujus, minimeque necessarii boni cupidi-
ne ortum esse deprehenderit, ad hanc excin-
dendam, perpetuum bono illi nuntium re-
mittat, omnique ejus usu interdictum sibi in
posterum velit; si ex nimiis occupationibus,
intrà breviorem modum has redigat: si ex li-
beraliori cum hominibus consuetudine; ju-

stos

stos huic quoque in futurum limites statuat : si ex minùs vivida cognitione veritatum cælestium ; largius ad aliquot subsequentes hebdomadas ordinariæ meditationi , & lectioni spirituali tempus assignet : si ex immodica foven- di corporis cura , usitatis hujus afflictationibus novas , & extraordinarias adjiciat : nec se- cùs , si alias esse animadverterit mali sui cau- fas . Tum verò , post præscripta id genus re- media , DEUM quām instantissimè oret , ut pristinum sibi charitatis fervorem pro pater- na sua benignitate restituat : *Cor mundum crea- in me DEUS , & spiritum rectum innova in visceri- bus meis . Redde mihi lætitiam salutaris tui , & spiritu principali confirma me : firmissimaque spe adfuturi sibi illius auxilii concepta , familiare suum , ipsi uni serviendi propositum , quanta maxima cum efficacitate potest , coram eo in- flauaret : ac demum , quæ retro sunt obliscens , idea , quæ priora sunt , extendens seipsum , non aliter , quām si tunc primū DEO famulari inciperet , recenti cum conatu , alacritate , & vigore , ab ea ipsa actione , quam initurus proximè est , perfectæ illius servitutis cur- riculum repetat.*



C A-

C A P U T X.

De aliis quibusdam instrumentis, ad eundem finem consequendum appositis.



Pus, quod elegimus, DEO penitus adhærendi, nec nisi ex ipso, & juxta ipsum vivendi, veluti excellentissimum est inter omnia, quotquot iuscipi ab hominibus possunt; sic & multa requirit instrumenta, quæ nostram imbecillitatem, ad illud constanter urgendum, adjuvent; & meretur, nè illum instrumenti genus, quod faciliorem reddere illius prosecutionem potest, à nobis negligatur. Quamobrem mihi persuadens, non ingratum Lectoribus fore, si maximam hujusmodi auxiliarum copiam in promptu habeant, præter tria jam proposita, in extremo hoc mei operis capite decem alia concessi, quæ ad finem tam eximum indefesso conatu persequendum, & felici successu apprehendendum, vel prorsus necessaria, vel magnopere utilia, & accommoda existimo.

2. Primum sit meditatio veritatum supernaturalium, earumque præsertim, quæ viam habent incitandi animos ad perfectam con-

conjunctionem cum DEO; quales sunt infinita illius bonitas, pulchritudo, & perfectio, quodque ipse sit ultimus finis, cuius gratiam procreati sumus: arctissima, qua tenemur, ei in omnibus serviendi, & super omnia cum amandi obligatio: inestimabilis felicitas eum in praesenti vita amantium, & eodem in post huma eternitate fruentium: vilitas, parvitasque, & penitus nihilum creatarum quarumlibet rerum praे ipso: aliæque hujus generis; quarum crebram, attentamque considerationem liquidò apparet, tam necessariam cuique esse ad perfectam conjunctionem cum DEO; quam necessarium cuique est assiduis, & flagrantibus eam votis expetere. Quo enim pacto fieri posse dicemus, sive ut ejusmodi vota jugiter in anima seruant absque vivida, & praesenti earum veritatum cognitione, quæ unicus illorum sunt fomes; sive ut talis cognitio inter tot, tamque varias mortalis vitae distractiones semper fixa perseveret in hominis mente, qui supernaturalia ejus objecta frequenti, attentaque consideratione non ruminat? Adeò sanè id factu impossibile erit, ut prorsus contrarium necessariò eventurum sit: nempe ut praedictarum veritatum species, nisi crebra meditatione excitetur, obscurior

R

sen-

sensim , atque obscurior in mente hominis fiat , proque majori ejus obscuritate , magis item perfectionis desideria elanguescant . Quapropter haud facilè aliud invenire exercitium fuerit , quod vel impensiùs commendetur à spiritualis vitæ magistris ; vel communius ab ejusdem sectatoribus frequentetur , quam attenta consideratio rerum cælestium . Quam idcirco veluti tibi , Lector , perfectam cum DEO conjunctionem anhelanti , tamquam primum , & efficacissimum hujuscem finis medium proposui ; sic author etiam sum , ut quotidie ad aliquod temporis spatium ob eundam suscipias : eas præ cæteris veritates in illius pabulum feligens , unde experiaris plus te utilitatis , efficaciorem nimirum DEO perfectè serviendi voluntatem , haurire : pergenisse tot , non dicam diebus , sed & mensibus in unaquaque earum ruminanda versari ; quot ad acrem illius sensum tuo animo infi gendum sufficient : sinè ulla solicitudine alio transeundi , quamdiu ibi sat idoneum , & locuples charitatis nutrimentum invenies .

3. Secundum , Lectio spiritualis , Librorum videlicet , qui vel solidam sanctioris vita institutionem , vel flexanimos ad perfectè vivendum hortatus , vel gesta hominum Christiana

stiana virtute excellentium contineat ; me-
dium non exigui ipsa quoque ad interiorem
prospectum momenti , justéque nuncupata
à D. Ephræm, secunda mamilla, unde animus
ad vitæ sanctimoniam nutritur. Dummodo
nec librorum materies à lectoris conditione ,
atque statu discrepet , neque hic curiositatis
pascendæ , aut fallendi temporis causâ , eam
cursim delibet ; sed cum seria proficiendi vo-
luntate , paulatim ruminare studeat , inque
suum spirituale alimenatum convertere. In
cujus rei fidem miræ complurium ad melio-
rem vitam conversiones produci possent , ex
spirituali lectione etiam fortuita ortæ : nisi
quòd argumentum magis sensibile , quia do-
mesticum , potest cuique esse fructuum me-
moria , quos ipse etiam indè pluries perce-
pit. Vix enim ullum quemquam virorum
spiritualium repereris , qui , cùm aliquando
(ut sæpe accidit) ægro , inquieto , à terrenis af-
fectibus perturbato , & prorsus incomposito
animo esset , post semihorulam pio alicui li-
bro impensam , non indè surrexerit , cum ma-
nifesta , & sensibili mutatione in melius , nem-
pe animo tranquillior , mente serenior , à
terrenarum specierum confusione , & pravo-
ruin affectuum intemperiis purgatiōr , ratio-

nis demum, suíque magis compos, & ad recte vivendum, ac divinæ consuetudini vacandum habilior. Quare optimum factu censuerim, ut quisquis in divino famulatu multum progredi expetit, præter stata quotidie meditationis, & lectionis spiritualis tempora, quidquid etiam vacui temporis obedientia, justa erga proximos charitas, propriæque sui statûs, atque muneric occupationes reliquerint, inter duo hæc tam fructuosa exercitia disperiat: liberalius illi indulgens, ex quo plus emolumenti, pro præsenti corporis, animique habitudine, se relaturum videt.

4. Tertium, spiritualis lætitia, qua nihil esse utilius, ad contemnenda præsentis vita bona, ad dæmonis tentationes repellendas, ad superandas, quæcumque in divino famulatu se objiciunt, difficultates, ad exercendas promptè, atque alacriter virtutes, ad emendandum indefessè, & constanti gradu Christianæ perfectionis curriculum, ad tranquillam, & suavem erga proximos charitatem in animo retinendam, & ad facile, & libenter cum DEO conversandum, experientia demonstrat. Quocirca maximopere tibi, Lector, commendo, ut eam excitare, & fovere in animo studeas, præsertim quando molesti cujuspiam

evel-

eventū causā, ad mōrōrem te impelli sen-
tis. Neque verò arduum id factu esse po-
terit, si aliquando in meditatione ordinaria
rite perpendas, & subinde in memoriam re-
voces inæstimabilis pretii bona, quæ in DEO
ex liberalitate illius possides; cùm hoc ipso
tempore, quo tam multi adversus eum gravi-
ter peccant, ab eoque in perduellium, & ini-
micorum syllabo recensentur, tu ex peculiari
privilegio in familia illius degas, studeásque
illi quām fidissimam servitutem præstare: &
ipse te vicissim ineffabili charitate amet, nec
in servorum modò, verùm etiam in filio-
rum, amicorūmque suorum numero habeat,
& post brevem mortalis hujus vitæ cursum,
sempiternam tibi cælestis regni sui hæredita-
tem, atque infinitæ beatitudinis suæ consor-
tium promittat. Ah nimium singularis, exi-
mia, incomparabilis felicitas est, amari à
DEO, amicum, filiūmque DEI esse, inti-
mam, beatissimam, æternāmque cum DEO
conjunctionem in cælo expectare. Neque
ego mente assequor, quoniam pacto, qui hæc
bona dignè æstimat, certoque scit, eorum
possessionem in manu arbitrii sui esse, ullum
possit in corde mōrōri præbere aditum: nec
potius, tam prodigiosam, & divinam suam

R 3

for.

sortem demirans, gestiat, tripudiet, & præ exuperanti lætitia vix non extra se abripiatur, vix compos sui sit; præfertim quod, et si aliquo præsentis vitæ malo urgeretur, hoc & pro eo, ut minuat supernaturalem beatitudinem, occasionem ei potius amplificandæ illius suggerit, & cum ea comparatum, vix atomus, vel umbra mali meretur censeri. Quare insolens præter modum, & ab omnione aliena novitas foret, si cum nihil ex naturæ instinctu avidius, quam lætitiam homines querant, tu, cui tanta suavissimi huic fructus occasio, & materia præsto est, facillimumque esset, sancta, & spirituali lætitia continenter affluere, nihil studii impensum pro ea velles: quamvis cæteroqui ejus jucunditas, præterquam quod cum naturali instinctu maximè congruit, præcipue etiam sit ad supernaturales quæstus momenti.

5. Quartum, assidua quovis tempore, & loco sui ipsius præsentia: sincera quædam scilicet rationis claritas, animique libertas, turbulentis humanarum rerum, atque hominum curis, & universo hoc sensibili mundo superior. Quam qui firmiter possidet, è nullo unquam perturbari, & confundi se patitur sive anxie urgentium negotiorum solitudine,

tudine: seu vana bonorum præsentium æstimatione: seu timida, & servili eorum, inter quos agit, verecundia: seu molesta valetudinis intemperie: seu repentina aduersorum casuum incursione; sed tamquam si degeret in Olympi vertice, quò nostri hujus imi aëris vapores, tempestatésque non pertingunt, purgata mentis acie intuetur, quæcunque in subjecto orbe terrarum videnda se offerunt: judicium de iis ferens, non secundùm extiam eorum speciem, pravorūmque affestuum, & vulgarium opinionum fallacias; sed juxta certissima orthodoxæ Fidei principia: integrāmque libertatem retinet volendi, atque agendi, quidquid in supernaturali illo lumine sibi rectius videbitur. Hanc itaque constitutionem animi defæcati, liberi, erecti, & toto se sibi assiduè præsentis, ajo, medium esse mirè homini utile ad continuos, & æquabiles in via spirituali progressus: ac propterea oportere, ut quicunque hos affectat, ad eam sibi parandam toto pectore incumbat. Id porrò faciet, si quoties animadvertis, serenum rationis jubar à futili aliqua rerum humanarum specie in mente obscurari, erigit esse super has & tamquam ex editiori specula eas contempletur, quales coram DEO,

& in veritatum æternarum lumine apparent, nempe ut objecta infimæ notæ, minimique pretii, nec digna proinde, ut eorum causâ plenam ipse rationi auferat, diminuatve arbitrii sui libertatem. Neque parvo usui in hanc rem illi fuerit, si, quam in animo sensuum altitudinem, & potestatem sui tueri studet, in ipsa etiam præ se ferat corporis specie: nunquam ei permittens, cujuscunque oppressionis, & molestiæ causâ, ad ignaviam, languorémque se abjicere: sed fingens illud potius, quantumcunque naturalis propensio repugnet, ad habitum, incessumque, & cum maximè alias liberum, generosum, virilem, sublato capite, rectis humeris, contentis lateribus, sereno ore, constanti, atque intrepido obtutu; cum nemini non compertum experientia sit, quam fraterna inter externum, interiorémque hominis habitum necessitudo intercedat, quantamque tum animus transfundendi suas qualitates in corpus, tum hoc sibi animum conformandi vim habeat.

6. Quintum strenuitas, & intensio animi, quæ nunquam patiatur DEI famulum turpi ignaviæ succumbere, adeò ut vel operandi tempora segni in otio torpens, desidiosus, ac semisomnis traducat; vel quotidiani usus ministeria

nisteria languidè , oscitanter , remissèque
obeat ; vel cuiuslibet difficultatis metu , quæ
honesta , & utilia sunt , agere omittat . Quem-
admodum enim inertiarum marcorum actuoso di-
vinæ charitatis fervori recta fronte adver-
satur ; sic necesse est , ut quantò quisque impen-
sius retinere hunc desiderat , tantò item eni-
xius pestem illi adeò contrariam prohibere à
se studeat : solertiam , & rectè operandi con-
tentionem semper vividam in tuo animo fo-
vens : nullam diei partem sinens à laudabili
aliquo opere vacuam abire : quæcunque agit ,
intendè , alacriter , studiosè , & solicitè agat ,
atque confuescat viriliter superare con-
temptuique habere ordinarias difficultates , &
molestias , quas virtutum exercitatio secum
solet afferre . Sed præcipue hic animi ardor
iis temporibus excitandus est , quæ peculia-
rem illum minuendi vim habent : ut primo
manè , aut cum cibi recens sumptu vapores mē-
tis vigorem obtundunt : aut per hyemem ,
cum nimio frigore adstrictæ , & quasi con-
glaciatae torpent corporis vires : aut demum
quotiescunque animus ob res adversas inertim
mōrore dejicitur : cogitet tunc in primis
opus esse , ut virum se exhibeat , contraque
mollitudinem , & languores ignaviæ fortiter
pugnet .

R s

7.Sex-

7. Sextum, constantia in recte' propo-
tis, hoc est in exequendis suo tempore, quæ
ante illud agenda sunt visa. Secùs atque mul-
torum consuetudo est, qui, quām promptè
in orationis æstu egregiorum hujus, vel illius
virtutis actuum destinationes concipiunt;
tam facilè, cùm eorum se occasio dederit, à
pristica voluntate & sententia per animi le-
vitatem deficiunt. Quibus, ut à vitio solidæ
perfectæque charitatitam adverso purgentur,
tria hæc remedia propono. Primum, ne plus
justo proclives, ac præcipites sint ad decer-
nendum, quidquid præsens affectus iis sugge-
rit; sed difficultates prævideant, quæ execu-
tionis tempore occurrent, & à quibus retenti
aliàs sunt, quo minus animosè priùs decreta
perficerent. Neque alacritati nimium con-
fidant, quam extra certamen nunc positi in
animo sentiunt; sed noverint quām facillimè
illam, ubi ventum ad rem erit, refrigerescere,
inque ignavum languorem converti: suas ita-
que vires diligenter expendant, statuendo
postea, quæ iis accommoda esse perspe-
xerint: hominis ritu, qui aleam jicit, unde
nulla sibi erit illam revocandi facultas: seriò
denuntiantes sibi ipsis, propositi pœnitен-
tiā, & voluntatis mutationem nihil deinde
vali-

valituram ; sed quantumcunque animus relu-
ctetur ; necesse omnino fore tunc exequi ,
quæcunque nunc sibi præscripserint . Secun-
dum, ut , si fortè quando laudabile aliquod o-
pus cum prædicta consilii maturitate decre-
tum, aggrediendi ipsius tempore , nova quæ-
piam ratio ipsum dissuadens se offerat ; nè
ullo pacto aures ei præbeant ; sed quod priùs
statuerunt , securè , ac fidenter illa vice exer-
quantur : reservantes solummodo in consue-
ta orationis tempus , novam de eodem con-
sultationem : & si tunc quoque contraria illa
ratio justa esse , magnique ponderis videretur ,
pristinum suum propositum liberè coram
DEO retractantes, at nunquam extra oratio-
nem , & in ipso operandi procinctu . Esto
quippe , honesti hujus , vel illius decreti exe-
cutio , adjunctorum causâ , nonnihil incom-
modi ferret ; nunquam tamen id una dunta-
xat vice perceptum , tam grave , noxiūmque
esse poterit , quām foret temeraria assuetudo ,
rectè placita , ex objecta quavis specie mutan-
di . Tertium , ut , si fortè per infirmitatem
animi fecerint quidpiam , à quo abstinere de-
creverant , aut quid omiserint , quod sibi fa-
ciendum præscripserant ; pœnas quampri-
mūm à se exigant , duplo , vel triplo gravio-

res .

res, quām seu molesta essent, quæ agere prætermiserunt, seu jucunda, quæ patrare ausi sunt. Adeò ut, si exempli gratiâ pomum, aut quid ejusmodi, contra quām proposuerant, extra ordinarium vescendi tempus gustârint; ad prandium illo die, vel cœnam nè accedant: sique hodie cilicum tribus horis gestare, aut flagello per dimidium horæ quadrantem se cædere, propositi, & moris sui negligentes, omiserint; cras per diem totum cilicio corpus atterant, & sui verberationem ter tanto temporis spatio producant: idque severitate omnino inexorabili, ut scilicet, quanto certius nōrunt, præfinitas exercitationes virtutis necessariò sibi esse obeundas, vel simpliciter suis temporibus, vel in duplum, si prætermissæ fuerint; tantò & lentiores sint in iis citra maturam deliberationem statuendis; & accuratiores in iisdem, postquam statutæ sunt, observandis. Imò è re foret, si, in quovis concipiendo proposito, pœnam simul sancient, & duplo quidem re definita graviorem, quam luere absque ulla remissionis spe debeant, quotiescumque à propositi observantiâ desciverint.

8. Septimum, Consuetudo iucumbendi ad vitæ sanctioris negotium nequaquam se-

cun-

cundum universam suam latitudinem, sed di-
visim, pérque singulas partes : ità ut omni
ablegata crastini, perendini, & subsequen-
tium porrò dierum solicitudine, de uno dun-
taxat cogitetur præsenti die, tamquam si alter
non superesset, sanctè exigendus. Nemo si-
quidem inter spiritualis vitæ cultores facile
erit, cui magna, & ardua res videatur, unius
tantum dieculæ spatum ad Christianæ per-
fectionis normam traducere, quique, si nihil
ab eo, præter tam brevis sanctimoniacæ stu-
dium postularetur, non satis ad illud suscipi-
endum animi, & fiduciæ præferret. Sed to-
ta difficultatis, & diffidentiæ ratio est, quod
præter hodiernum diem, quo rem esse æquis-
simam, nec magni admodum negotii videt,
ut perfectè DEO serviat, hoc est à levissima
quavis noxa abstineat, nusquam voluntati
propriæ, aliisque terrenis affectionibus mo-
rem gerat, nec aliud quidquam, præter DE-
UM, & quæ ille vult, diligit; longissima illi
objicitur aliorum dierum, similiter, eadém-
que cum perfectione traducendorum series :
in quorum singulis, per se tantum spectatis,
licet fateatur non nimis futurum difficile, ità
avulsum à quibuslibet rebus terrenis, & DEO
uni deditum vivere, nihilo minus talem se in-
iis

iis quoque universis præstare, non secùs plerumque, ac rem sibi omnino inaccessam, & suis superiorem viribus concipiat. Unde consternatio animi, dissidentiæque oritur, & strenuæ illius generositatis defectus, quæ ad magnas res quaslibet viriliter aggrediendas, constantérque prosequendas requiritur. Quocirca operæ pretium fuerit, ut qui præspirituali sua imbecillitate non audet perpetuum & universale decretum concipere, iram, gulam, curiositatem, inanis gloriæ cupidinem, cæterosque inordinatos animi affectus, coërcendi, quotiescumque occasio se præbuerit; in singulis saltèm hujusmodi occasionibus, prout aliis aliæ succendent, statuat singulari decreto, prædictos affectus reprimere; cogitans: & quid tandem magni erit, si ego hic mihi vim inferam, meāmque hanc propensionem cohibeam? Præstandum certè id mihi est; neque enim propterea continget me mori: & nimis cæteroqui indecorum, ac turpe esset, si neque una vice sat virtutis, animumque ad gratificandum DEO haberem. At minimè hic res subsistet, sed nisi dissidere à me ipso in vitæ actibus velim, sexcenties alias idem factitandum mihi erit. Veréne, an seculis futurum id sit; quorsum de eo nunc sollicitus

citius esse debedo? Sexcenti illi actus nequam exercendi nunc sunt; sed hic unus, cuius præsens occasio se offert. Et si etiam ad hunc porrò accessuri sint, nullam certè vim habent, reddendi hunc futuro suo accessu difficultorem, quam per se ipsum nunc sit, quamque esset, si nullum omnino alium ejusdem generis sibi deinde successurum haberet. Age itaque, hunc in præsenti exerceamus, deque aliis suo tempore, quando nempe eorum instabit occasio, cogitabimus. Nam neque illi simul universi, sed alii singillatim post alios exercendi erunt: ac proinde, si hic per se unum non magnam mihi difficultatem exhibet, neque ullus porrò exhibebit sequentium. Simili pacto, qui diffidit, sati sibi futurum virtutis, ad plures annos cum ea interiori puritate transigendos, sui custodia, avulsione animi à sensibilibus bonis, omnimoda in terreno appetitu refrænando severitate, & assidua cum DEO consuetudine, quæ ad perfectam vivendi rationem requiritur; prudenter sibi consulat, si quod aggredi universum formidat, particulatim, & in dies singulos peragendum suscipiat, ad hunc modum se aliquoquens: eja, serviendum hodie DEO est, integræ, perfectæque, & ad illius servitutis exemplum,

plum, quæ à sanctis viris perpetuò ipsi exhibita est. Quid ais? Respuésne id saltēm hodie præstare? Tantine igitur res laboris vide ri tibi potest, vel unicum vitæ tuæ diem sancte traducere? Age, laudatissimum opus strenue alacritérque suscipiamus. Facere hoc die illius periculum libeat. Quid agendum cras sit, statuere tunc commodius fas erit. Certè convenientissimum rationi apparet, nec cæteroqui grave admodum existimari potest, ad hodiernam usque vesperam hoc vivendi institutum tenere. Ità igitur quovis die secum differens, non magno negotio adducetur, ut statuat, eorum unumquemque *in sanctitate, & justitia coram DEO agere.* Quodque illi circa hodiernum evenerit, per se tantummodo, & separatim à reliquis sumptum, circa crastinum pariter, eadem ratione sibi repræsentatum eveniet: atque hoc pacto in diem vivens, & semper gradatim ab uno ad alterum procedens, quam facile unum illorum sancte exiget; tam facile demum inventiet, sancte omnes sibi exactos fuisse.

9. Octavum suimet dissidentia, ità ut nihil sibi homo, suisque viribus, industriis, & conatibus tribuat; sed tamquam per se omnino impotens quidquam boni agere, propriam

tiam DEI opem continenter imploret, totaque in ea positam spiritualis sui profectus spem habeat. Et verò, ad divinæ charitatis perfectionem assequendam, necessarium omnino cuique esse, ut ita de se humiliter intentiat, nemini erit obscurum, qui tria hæc in memoriam sibi revocet certissimæ veritatis Effata. Primò, perfectam charitatem, & conjunctionem cum DEO opus esse ultra proprias hominis vires, & tale propterea, ut ad illud rite administrandum, & feliciter absolvendum, nihil profuturum sit, quibuscunque artibus, regulis, considerationibus, & industriis uti, nisi DEUS præsenti ope illius curas, & conatus secundet. *Nisi Dominus ædificaverit domum; in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* (Ps. 126.) Secundò, tam impossibile esse, ut DEUS cælesti sua ope homini adsit, magnifica sui opinione imbuto, & multum sibi de se pollicenti: quam aperta sunt testimonia, quæ in sacrarum literarum monumentis reliquit, peculiaris sui contra superbos odii: iam eos abominari se dicens, *Abominatio Domini est omnis arrogans.* (Prov. 16.) jam eorum consiliis, destinationibusque adversari: *DEUS superbis resistit.* (Jac. 4.) jam neminem ex iis non depresso se iri: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur.*

S

bitur. (*Luc. 14.*) Tertiò, certissimam rationem consequendi à DEO necessaria humanæ imbecillitati adjumenta esse, ut iis nos omnino indigere agnoscamus, & proinde à largissima ipsius benignitate iisdem instrui, submissè, fidenterque oremus. Cùm nullo modo effectus sui irrita esse possit illa ipsius universalis promisso : *Omnia, quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis.* (*Marc. 11.*) Hæc igitur cùm extra omnem controversiam sint; quisquis multum progredi in perfectiōnis curriculo optat, quemadmodum palam videt, nunquam fore, ut vel prædictum finem sínè DEI auxilio, vel DEI auxilium sínè humilitate assequatur : ità debet vanam sui extimationem, tamquam suis consiliis, & votis apprimè iniamicam, penitus ab animo excludere, neque de suis viribus sibi unquam placere, séque minùs postremo quovis alio mortalium divinæ opis indigum putare; sed potius, tamquam omni vacuum virtute, fœdissimis vitiis obnoxium, ad quævis flagitia proclivem, vel minimis sanctioris vitæ difficultatibus imparem, & spiritualibus miseriis scatentem, despicere : in quacunque recte, aut perperam agendi occasione ad DEUM confugiens, quasi unicum extremæ infirmitatis suæ colu-

columen : longèque persuasissimum habens,
quantò in estimatione sui abjectior , & ma-
gìs sollicitus de divina ope imploranda erit:
tantò se amplius , & celerius , ignarum quo
pacto , nec sinè jucunda suorum successuum
admiratione, in perfecta charitate, & conjun-
ctione cuin DEO profecturum. Quia intel-
ligendum denique est (& beatus , qui probè
id intelligit) nostræ hoc salutis , & perfectio-
nis negotium, *non volentis , neque currentis , sed*
miserentis DEI esse : nullámque ad optabilem
illius exitum reperiri expeditiorem viam ,
nullam feliciorem industriam, nullum certius
præsidium , quām si divinam nobis misericor-
diam assidua, humilique mereamur prece.

10. Nonum, peculiaris veneratio augu-
stissimæ DEI Parentis , Mariæ. Nemini si-
quidem esse dubium potest, quin DEUS ,
quemadmodū speciali honore afficit, & à no-
bis affici vult magnam hanc Virginem , quam
unam præ omnibus sibi in matrem elegit : sic
propensiori etiam favore illis adsit , qui reli-
giosiori cultu eam venerantur , & sub fide, &
clientela illius degunt. Quamobrem , si ire
inficias nequimus , tantò plus hominem in
perfectionis via progredi , quantò plus opis
à DEO accipit ; & tantò plus opis à DEO ac-

S 2 cipere

cipere , quantò magis Deipara suo illum potenti patrocinio tuetur ; neque illud inficiari jam nobis fas est, quod planissimè indidem sequitur , tantò scilicet unumque in ampliores facturum in Christiana perfectione progressus , quantò sibi magis propitiam calestein eam patronam habuerit. Cujus favorem, cuicunque spiritualis suus prosector curæ est, aucupari studiosissimè debet : tum in perpetuam se se illi servitutem solenni semel ceremonia offerendo , & religiosam ejusmodi dedicationem vel singulis sabbatis , vel annuis quibusque illius Festis instaurando , tum faustam sibi illius appreciationem coram quapiam ejus effigie poscendo , quovis manè , simul atque è strato surrexerit , & quavis nocte , priùs quam cubitum eat, imò etiam quoties seu è cubiculo prodit, seu illuc revertitur, tum in quibuslibet angustis , dubiisque rebus suppliciter eam invocando , tamquam fidissimum sui , & suarum omnium rerum præsidium ; tum gratulando ipsis de tot , tamque singularibus donis , quibus cumulata à DEO est, & studendo , quantum potest, illius gloriam , piúmque inter homines cultum latius proferre ; tum demum aliis quibusque actibus , quos obsequiosus tam sublimis Reginæ ,

ac

ac præpotentis patronæ amor suggestere fa-
mulis solet.

II. Decimum, præsentis in Eucaristia
Christi Domini Cultus: efficacissimum ille
quidem sanctioris totius vitæ medium, & sin-
gulari à spiritualibus viris studio exercen-
dus: tum quia experientia testatur, nihil ma-
gis valere, ad excitandum, fovendumque in
hominis animo divinæ charitatis fervorem,
quam si quispiam, viva fide, venerabundus
maximo huic sacramento adsit; tum quia ni-
hilo hic minus eum præsentem habemus,
quam in suamet cælesti Regia ad dexteram Pa-
tris sedeat, quamque nostri causâ homo fa-
ctus in diebus mortalitatis suæ Judæam per-
ambulans adfuerit discipulis; illum nempe
ipsum, qui ut nos à peccati, & dæmonis ser-
vitute redimeret, pretiosissimum suum san-
guinem, infami super patibulo, vulneribus
undique, & opprobriis coopertus, profu-
dit: illum ipsum, qui in novissimo mundi
exitu supremus vivorum, ac mortuorum ju-
dex, decretoriam de nobis, deque nostro in
universam porrò æternitatem statu feret sen-
tentiam: illum denique, qui totius nostri bo-
ni fons est, qui mortali quovis patre, & ami-
co impensiùs nos amat, qui nil optat arden-

S 3

tiùs,

tiùs, quàm egenis rebus nostris succurrere: ac proinde, quemadmodum olim, ante suum obitum, *pertransiit benefaciendo, & sanando omnes*; ità post eundem, permanere inter nos, usque ad consummationem sàculi in hoc sacramento voluit, quò nimirum sic pergeret, profusissimæ benignitatis suæ effectus toti hominum posteritati exhibere. Quocirca, si quis etiam ex me quæreret, cujusmodi esse noster hic erga ipsum in Eucharistia præsentem cultus debeat? expedito, & brevi responso satisfacere homini possem, dicens: talem esse oportere, qualis requireretur, si ipsum cerneamus, prout cernebant Apostoli, nostro corpore amictum: adeò ut tam assidui in concurrendo ad ipsum, inque ipsi adstanto nunc simus, quàm fuissimus tunc temporis: nec minori cum reverentia, gaudio, & fiducia eum intueamur, sub panis, atque vini speciebus latente, quàm intueremur sub humana specie visibilem; cùm nihilo minus nobis præsens hic sit, ac ibi fuerit; nec minorem bene de nobis merendi voluntatem, & vim in aliena hac habeat, quàm in nativa, propriaque illa forma habuerit.

12. Prima igitur pars justissimi hujus, de quo loquimur, itidéique fructuosissimi cul-
tus,

tus, nempe assiduitas in tanto Domino communius venerando, exigit primò: ut quotidie semel, aut pluries rei divinæ assistamus, tamquam actioni omnium sanctissimæ, & in qua ipsemet Christus, sacerdos simul, & victima, pergit renovare, etsi citra sanguinis effusioneum, illud idem maximum sacrificium, quod pro nostra olim salute æterno suo Genitori in crucis ara obtulit. Secundò, ut singulis hebdomadis accedamns semel, aut iterum ad sacram synaxim, hoc est: ad eum ore sumendum, qualem spiritualis nostri alimenti gratiâ, sub vulgari panis specie dignatus est se se nobis relinquere. Tertiò, ut ea, quam sæpissime fieri potest, visitemus altaria, in quorum ille adytis, veluti in terrestri quadam Regia sibi sedem elegit: certum statuendo in dies singulos visitationum ejusmodi numerum, qui semper impleatur, possit tamen, quando minus occupati sumus, excedi. Quartò, ut præter stata hæc tempora, quoties extraordinaria tentatio, vel quævis alia urget necessitas, eodem quam primùm recurrantus, quasi ad fidissimum contra adversa omnia spei, & securitatis asylum. Quintò, ut illa præcipue frequentemus templa, in quibus sacrosanctum illius corpus publicæ Fidelium venerationi

proponitur: perdurantes ibi, magna diei parte, quoad per necessarias occupationes licet, nullumque existimantes longum tempus, quod coram eo sic præsente traducimus.

13. Neque secùs pars altera, modus sci-
licet justè, congruentérque cum venerandi,
quinis & ipsa comprehendì capitibus potest.
Primum est, ut ipsi adstantes, quàm maximè
vividum in nobis excitemus præsentia ipsius
sensum: non dissimili persuasionis firmitudi-
ne, & quiete hanc credendo, ac nocte con-
cubia eorum præsentiam credimus, quæ, licet
tunc non visa, aliunde tamen certissimi su-
mus, in eodem nobiscum cubiculo existere.
Unde reverentia, hilaritas, & fiducia prove-
niat, qualem esse, coram tantæ magnitudi-
nis, & benignitatis Domino, decet. Secun-
dum, ut ejusmodi fides, affectusque hujus
proprii specialiùs concipientur divini sacri-
ficii, atque epuli Eucharistici tempore. Ter-
tium, ut rei divinæ faciendæ non minus im-
pendatur temporis, quàm horæ dimidium:
quantum nempe ad eam religiosè, ac piè per-
agendam requiritur. Cùm plùs nimiò inde-
cora eorum hic properatio sit, qui, ut curtum
horæ quadrantem, vel semiquadrantem pro
reliquis studiis, & occupationibus suis com-

pen-

pendent, de necessario sanctissimæ hujus functionis demenso illum refecant, functionis nimirum, qua nullam cæteroqui nobiliorē, & majoris momenti aliam in omni vita sua unquam sunt obituri. Præsertim verò, quod ijdem minimi temporis tam avari, cùm illud impendendum DEO est, nîl pensi deinde habent, solidas horas in otiosis confabulationibus, & supervacuis aliis rebus profundere. Quartum, ut ad eandem rem divinam solerti præmeditatione sacerdos se comparet, intérque eam faciendam terrena prorsus omnia obliviscatur, nulli rei mentem tunc advertens nisi DEO, qui præsens adest, Angelis, qui aram circumstant, & tremendis mysteriis, quæ celebrat. Neque, post sacrum opus peractum, huinanis priùs sc negoziis, & commerciis restituat, quām per justum aliquod temporis spatium cum cælesti suo hospite egerit, inæstimabile collati ab eo sibi munieris pretium admirans, peramantes ipsi gratias pro tam eximia benignitate referens, instauransque, & validius confirmans familiare suum propositum, non nisi juxta ipsum vivendi. Quintum, ut ad sacram quoque synaxim accedatur, cum eadem tam ante, quām post ipsam collectione totius animi in DEum.

S 5

Quam

Quam in rem laudatissimum foret, nonnullorum exemplo, medios inter unam, & alteram divinæ dapis sumptionem dies bifariam partiri, & alios gratiarum actioni de præterita, alios verò assignare præparationi ad futuram. Saltèm conveniet præparationem hanc inchoari à meridie antecedentis diei: ita ut Eucharisticæ cras mensæ accubiturus, pomeridianas hujus diei horas cum peculiari pietatis sensu exigat: recogitans secum immortalis alimoniæ delicias, quibus postridie est saginandus, de tam felici sorte gestiens, flagranti cum aviditate illius horam expectans, neque alias inter cogitationes, aliósque affectus seu vesperi se ad somnum componens, seu manè ab eo exurgens, seu matutinum, quod exinde sequitur, tempus ad optatissimam usque transīgens cælestis convivii refectionem. Secundùm quam oportebit, ut tam singularis beneficiorum memor, quos indè hausit fidei sensus, & pietatis ardores reliquo illo die integros, vigentésque retineat: non aliter seipsum, quam ut sacram pyxidem spectans, studénsque se ab omni labore purum, & cum cælesti, quem accepit, Domino quām maximè conjunctum servare. Sed sacerdotibus, qui quotidie ad sacram mensam accedunt, utendum in primis
hac

hac temporis partitione erit: ita ut primam
eiusvis diei medietatem præparationi ad di-
vinum Sacrificium , alteram verò gratiis pro
eo persolvendis impendant , atque omnis hoc
paæto eorum vita perpetuus sit sanctissimæ
Eucharistiae, & præsentis in ea Servatoris DEI
cultus.

14 Per quæ videor mihi , amice Lector ,
ulterius illud meo unius necessarii operi com-
plementum addidisse , quod secundum mate-
riam desiderari in eo poterat , mèque ipsi ad-
jecturum in præsentis hujuscce appendicis
procœmio receperam . Postquam enim co-
natus sum primo capite ad efficacissimam
prorsus ex DEO , & juxta DEUM vivendi vo-
luntatem te impellere ; universam in proxi-
mis duobus capitibus summatim collegi , unó-
que quasi obtutu tibi perlustrandam vitæ tam
divinæ rationem exhibui : subdens præcipua
tum impedimenta , quæ illius continuationi
obstant ; tum instrumenta , quæ ad eandem
conferunt , modùmque unà maximè idone-
um demonstrans , & strenuè illa superandi , &
fructuosè his utendi .

15. Circa quam appendicem duo tibi re-
linquenda in hac illius conclusione monita
existimo. Primum , ut , quandoquidem tota
hic

hic propemodum Christianæ perfectionis summa paucis foliis comprehensa proponitur, nè satis credas eam tibi utilem fore, si festinante ad finem oculo cursim perlecta, & quodammodo devorata à te fuerit; sed persuasum potius habeas, ad solidum indè frumentum percipiendum, opus tibi esse, ut penitulata, quietaque lectione documenta illius regustare, ac ruminari identidem pergas; vel pro meditationis ordinariæ materiâ, hodie ex iis unum, & cras alterum sumas, quoad illa sic probè concoxeris, atque in tuum spirituale alimentum redegeris. Secundum est, ut, si regulæ, quarum praxis hic præscribitur, ultra modum tibi viderentur multæ, & nimia attentione indigentes, nè animum idcirco despondeas, earumve curam, velut rei humanae penè vires transcendentis abjicias; sed reputes tecum, eandem difficultatem in omnibus ferè humanis artibus, putà Musicæ, Grammaticæ, & Dialecticæ occurrere: pro certo habens, quod cuilibet in iis evenit, idem tibi etiam in præstantissimæ hujus artis studio eventurum: nempe ut, quomodo earum regulæ, licet primò sinè maximâ difficultate, & mentis attentione servari à tyronibus nequeant; ab iisdem tamen, aliquantulo exercitioribus,

tioribus, cum minori semper, ac postremò etiam sinè ulla peculiari, & expressa animadversione servantur; sic & hujus præcepta, quāvis tibi nunc inexperto servatu difficultima, & vix non impossibilia; eidem nihilominus, per unum, alterūmque mensem in iis exercitato, minus semper, & minus, ac dum nūl negotii faceant. Præsertim quod, quæ ex illis ad substantiam perfectæ cum DEO conjunctionis necessariò requiruntur, non multa admodum sint; reliqua verò h̄s accedant, non nisi ut instrumenta, ad certiorem, vel faciliorem eorum praxim utilia. Quæ proinde major utilitas non importunè adeò quærenda est, ut justo acriora illius studia seu corporis valetudinem pessimident, seu animi quietem confundant, seu spiritū libertatem suffocent.

16. Reliquum postremò est, ut, quemadmodum in primo ejus capite luculenter vidi-
sti, conjunctionem cum DEO (quæ nihil aliud revera est, quām conjunctio cum plenitudine omnis boni) unicum finem esse, ad quem procreatus es, & in cuius possessione tua omnis consistit tam præsens, quām æterna felicitas, tantò semper major, quantò con-
junctior cum eo fueris, neque quidquam fieri
à te

à te posse justius, tuaque è re magis, quam si tibi asserere perfectissimo quovis modo tam eximium, tam beatum, tamque amabilem finem contendas: quemadmodum, inquam, manifestè hoc vidisti, sic quam maximo cum ardore animi nunc aggrediaris, & pari semper contentione urgeas hoc inter omnia, quæ suscipi ab hominibus possunt, longè nobilissimum, & fructuissimum opus, totus DEO tuo intimè adhærens, nec nisi de illo, & sanctissimo amore illius vivens. Quod per nova hic adjuncta utilium regularum, & exercitationum præsidia, planius tibi fore in posterum spero, quam hactenus fuerit. Neque aliud mihi superest, nisi à DEO suppliciter postulare, ut præsens tuum propositum roboret veræ illius, perfectæque charitatis suæ afflatu, sine qua nihil eximi potest, quaque adjuvante nihil non peragit humana imbecillitas. Dicamus ergo illi, præeunte nobis Ecclesia: *Omnipotens, & misericors Deus, de cuius munere venit, ut tibi à fidelibus tuis dignè, & laudabilitet serviatur; da cordibus nostris inviolabilem tuæ charitatis affectum: ut desideria de tua inspiratione concepta nulla possint tentatione mutari.* Amen.

IN-